1877. VII.
PHIL. I.



De nomothesia Attica

DISSERTATIO

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
IN ACADEMIA REGIA CHRISTIANA ALBERTINA KILIENSI IMPETRANDOS

SCRIPSIT

RICHARD HÖFFLER

MARCHICUS WITTSTOCKIENSIS.



KILIAE.

PROSTAT IN AEDIBVS HAESELERI.

EX OFFICINA C. F. MOHR. (P. PETERS).

1877.

Imprimatur:

Dr. Wilh. Seelig,

h. t. decanus.

FRIDERICO KÖRBER

AVGVSTO BERGEMANN

De testimoniis.

De ratione qua apud Athenienses novae leges ferendae veteresque abro-andae fuerint, maxime certiores reddimur Demosthenis orationibus contra Leptinem t Timocratem Aeschinisque oratione contra Ctesiphontem, itemque paucis Andocidis ratione de mysteriis. Quae testimonia omnia genuina esse si probari posset, vix ulla lubitatio de nomothesia Attica relicta esset; cum autem A. Westermann, unter-uchungen über die in die attischen redner eingelegten urkunden. Leipzig 1850. I. agacissime demonstrarit, quae sunt inserta documenta orationi Timcrateae §. §. 20—23 ed. Dind. min.), ea a falsario composita esse, permulta in dubio iam relicta sunt, t valde pretium sit de integro pertractare quaestionem de nomothesia apud Atheni-nses. Qua in re si aliquid effecero, valde gaudebo.

Ac primum quidem sententia nobis ferenda est de ipsis testimoniis. Jam uod attinet ad documenta or. Timocrateae, me cum Westermanno prorsus fere onsentire modo significavi, unus tamen est locus de quo aliter iudicaverim, §. 23, ubi verba sunt haec: *αἱρεῖσθαι δὲ καὶ τοὺς συναπολογησομένους τὸν δῆμον τοῖς νόμοις, οἳ ἂν ἐν τοῖς νομοθέταις λύωνται, πέντε ἄνδρας ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων, τῇ ἑνδεκάτῃ τοῦ ἑκατομβαι-ῶνος μηνός*, sed cum melius de hoc loco exponatur ubi de syndicis nobis agendum est, hic rem universe significasse satis sit.

Multo maioris momenti est quaestio, utrum reliqua testimonia de una eadem-que re agant necne, de qua re valde inter se dissentiunt viri docti. Psephisma Tisa-neni quidem, quod exstat in Andocidis oratione de mysteriis §. §. 83—84 (verba uae ad nostram quaestionem pertinent sunt haec: *ὁπόσων* (sc. *νόμων*) *δ᾽ ἂν προσδέῃ, οἵδε ᾑρημένοι νομοθέται ὑπὸ τῆς βουλῆς ἀναγράφοντες ἐν σανίσιν ἐκτιθέντων πρὸς τοὺς ἐπωνύ-μους σκοπεῖν τῷ βουλομένῳ, καὶ παραδιδόντων ταῖς ἀρχαῖς ἐν τῷδε τῷ μηνὶ τοὺς δὲ παρα-διδομένους νόμους δοκιμασάτω πρότερον ἡ βουλὴ καὶ οἱ νομοθέται οἱ πεντακόσιοι, οὓς οἱ δημό-ται εἵλοντο, ἐπειδὴ ὀμωμόκασιν. ἐξεῖναι δὲ καὶ ἰδιώτῃ τῷ βουλομένῳ, εἰσιόντι εἰς τὴν βουλὴν συμβουλεύειν ὅτι ἂν ἀγαθὸν ἔχῃ περὶ τῶν νόμων. ἐπειδὰν δὲ τεθῶσιν οἱ νόμοι ἐπιμελείσθω ἡ βουλὴ ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου τῶν νόμων ὅπως ἂν αἱ ἀρχαὶ τοῖς κειμένοις νόμων χρῶνται. τοὺς δὲ κυρουμένους τῶν νόμων ἀναγράφειν εἰς τὸν τοῖχον* i. e. *εἰς τὴν στοάν*,) omnes fere a reliquis testimoniis seiungendum esse censent, cum causa fuerit singularis, ut nulla

sit ratio eius habenda, ubi de nomothesia legitima agitur.[1]) Ego vero Ulricum Koehler sequor, qui in libro »zur geschichte des attisch-delischen seebundes. Berl. 1870 pg. 66 dicit: Das gesetz des Demosthenes Tim. §. 20 und der beschluss des Tisamenos scheinen sich zu ergänzen. Quae coniungendi ratio quomodo se habeat inf videbimus, ubi de senatu agemus; causa quidem cur Athenienses a via usitat recederent novamque instituerent nomothesiae rationem nulla poterat esse. Hoc san viris illis doctis, qui hoc psephisma a reliquis locis seiungunt, concedendum est no de eadem parte eiusdem rei in decreto Tisameni agi de qua reliquis locis, tame de eadem re utrisque locis agi probari potest, cum non sint quae inter se pugnen

Maior etiam quam de loco Andocideo inter viros doctos est disceptatio d Aeschinis Ctesiphont. §. 38 sq, quem locum alii cum Demosthenis verbis coniunger student, alii vero eo de alia nomothesiae parte agi statuunt. Dicit vero Aeschine haec: οὔτε ἠμέληται περὶ τῶν τοιούτων τῷ νομοθέτῃ τῷ τὴν δημοκρατίαν καταστήσαντι, ἀλλ διαρρήδην προστέτακται τοῖς θεσμοθέταις καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν διορθοῦν ἐν τῷ δήμῳ του νόμους, ἀκριβῶς ἐξετάσαντας καὶ σκεψαμένους, εἴ τις ἀναγέγραπται νόμος ἐναντίος ἑτέρ νόμῳ ἢ ἄκυρος ἐν τοῖς κυρίοις, ἢ εἴ που εἰσὶ νόμοι πλείους ἑνὸς ἀναγεγραμμένοι περὶ ἑκάστ πράξεως. κἂν τι τοιοῦτον εὑρίσκωσιν, ἀναγεγραφότας ἐν σανίσιν ἐκτιθέναι κελεύει πρόσθε τῶν ἐπωνύμων, τοὺς δὲ πρυτάνεις ποιεῖν ἐκκλησίαν ἐπιγράψαντας νομοθέταις, τὸν δ' ἐπιστά την τῶν προέδρων διαχειροτονίαν διδόναι τῷ δήμῳ, καὶ τοὺς μὲν ἀναιρεῖν τῶν νόμων, τοὺς δ καταλείπειν, ὅπως ἂν εἷς ᾖ νόμος καὶ μὴ πλείους περὶ ἑκάστης πράξεως. — τῶν μὲν θεσμο θετῶν ἐξευρόντων, τῶν δὲ πρυτάνεων ἀποδόντων τοῖς νομοθέταις ἀνῄρητ' ἂν ὁ ἕτερος τῶν νόμων.

Jam videamus quid sit statuendum de his verbis, atque primum quidem virorum doctorum audiamus sententias. Primus igitur F. A. Wolf, orat. Leptinea pg. CL. de una eademque re Aeschinem et Demosthenem loqui censuit, attamen dubitanter disserit, dicens se non penitus damnare audere si quis seiunctim de utroque loco exponat. Quem secutus Schoemannus, mutata quam antea in comit. Athen pg. 260 tulerat sententia et ipse antiquit. iuris publici Athen. pg. 227. 7. Aeschini auctoritatem cum Demosthenis iungit. Deinde Schellingius in dissertatione de Solonis legibus Berlin 1842 hanc sententiam defendit, contra quem maxime nobis pugnandum est, et quia optime rem exposuerit et cum, qui nuperrime de eadem re disseruit A. Weidner Aesch. or. Ctesiph. Leipz. 1872, non solum non afferat nova sed quae a viris doctis adlata sunt confundat. Seiungenda Aeschinis verba a Demosthenis censet Frankius, in censura libri Schellingiani, quae exstat in: Jenaer litteratztg. 1844. pg. 734.

[1]) Latum est psephisma Tisameni quo tempore Athenienses expulsis XXX tyrannis Euclide archonte rempublicam liberam restituerunt.

Jam audiamus Schellingium, qui haec dicit: vel levissimus adspectus similitudinem inter Aeschinis legem et orationis Timocrateae leges docet: in utrisque enim ublica legum recensio, in utrisque ante eponymorum statuas expositio, in utrisque mothetarum ad rem componendam lectio commemorata est. Atque profecto primo uidem adspectu similitudo quaedam esse videri potest, sin vero accuratius rem peruirimus, eam in rebus minoris tantum momenti esse inveniemus, non in intima re. raeterea etiam »levissimus adspectus« Schellingium in nonnullis rebus fefellit. Unde nim scit vir doctus in ea quoque nomothesiae parte de qua apud Aeschinem agitur ges publice recensendas fuisse? Equidem apud Aeschinem de hac re nihil inveni. eeinde de nomothetis quoque erravit, quorum nullum fuisse munus in διορθώσει νόμων — de hac enim res est apud Aeschinem — statim demonstrare studebo. Denique expositio legum in utraque re alia erat, cum in epicheirotonia legum, quam tractat Demosthenes, leges a ministris quibusdam, in διορθώσει vero ab ipsis thesmothetis xponendae essent. Ut autem concederemus omnes similitudines quas Schellingius ominat exstare tamen multo maiores sunt diversitates quibus cogimur Aeschinis gum a reliquis seiungere. Primum enim quod attinet ad tempus, epicheirotoniam in ima primae prytaniae contione faciendam fuisse cap. I. §. 1. demonstrabitur, lucet vero διόρθωσιν tum fieri non potuisse. Legimus enim a thesmothetis omnes eges accuratissime perquirendas fuisse, iam qui homines illi intra undecim dies — reabantur enim primo hecatombaeonis die — totum corpus iuris Attici, quod permagnum fuisse constat, examinare poterant? Quam dubitationem Schellingius prytanum exemplo moveri posse censet quos et ipsos in epicheirotonia eodem temporis spatio cognitum habere debuisse dicit, num leges quae exstabant rei publicae statui sufficerent necne. Sed etiam de hac re in errore versatur vir doctus, cum prytanibus leges omnino non pervestigandae fuerint: illi enim homines in ecclesia in suffragium mittebant populum de legibus, ipsi autem de ea re sententias non ferebant, ut non opus esset eos corpus iuris perquirere. Schoemannus difficultatem illam eo tollere studet, quod dicit l. c. quae thesmothetae superioris anni recognitis legibus statuissent, ea in prima novi anni contione a thesmothetis sequentibus cum populo communicata esse. Sed ne haec quidem explicatio mea quidem sententia ferri potest. Primum enim vir doctissimus non probavit exemplis res apud Athenienses ex uno anno in insequentem differri potuisse. Cuius rei vix exstant exempla, quin etiam ex causis quae ad homicidium spectant elucet talium dilationum in iure Attico non fuisse locum: ne enim differrentur hae causae ex anno in insequentem, lege praescriptum erat ne per tres extremos anni menses ab archontibus accipe-

rentur. Repugnant praeterea Schoemanni sententiae, ex qua sequitur semper in prima primae pry aniae contione thesmothetas quae de legibus invenerant cum popu[lo] communicare debuisse, — ut omittam Dem. Lept. 91. ὥστε χειροτονεῖθ' ὑμεῖς το[ὺς] διαλέξοντας τοὺς ἐναντίους νόμους ἐπὶ πάμπολυν ἤδη χρόνον quod et ipsum huc specta[re] persuasum habeo — ipsius Aeschines verba τοὺς δὲ πρυτάνεις ποιεῖν ἐκκλησίαν sc. π[ερὶ] τῶν νόμων τῶν ἐναντίων, ex quibus cum ante ἐκκλησίαν desit articulus, consequitur n[on] certam ecclesiam huic rei constitutam fuisse, sed ex rebus aut initio aut sub fine[m] anni populum in contionem illam convocatum esse: Sin vero non invenissent thes-mothetae leges inter se pugnantes, tum omnino non de hac re contionem habitam ess[e].

Praeter hoc etiam alia sunt discrimina inter Aeschinis et Demosthenis loco[s]. In epicheirotonia enim, ut probabo secutus Westermannum, thesmothetae nomotheta-rum iudicio praerant, quos in διορθώσει, etiamsi in ea nomothetae convocati essen[t], praesides esse non potuisse, ex eo apparet, quod quasi accusatores veterum legu[m] erant, quos et ipsos iudices fuisse nemo erit qui putet, praeterea autem Aeschine[s] disertis verbis nobis tradit prytanes leges nomothetis tradidisse: τῶν δὲ πρυτάνεων ἀπ[ο]δόντων τοῖς νομοθέταις τοὺς νόμους. Eum autem, qui rem iudicibus traderet, iudi[cio] praefuisse satis notum est.

Aliud praeterea discrimen inter epicheirotoniam et διόρθωσιν rectissime ian[m] Frankius exstare monuit: in διορθώσει veteres tantum abrogabantur leges, ut diserti[s] verbis Aeschines dicit, novae autem non substituebantur, quod in epicheirotonia factu[m] esse ex permultis cognoscimus locis, ut ex Dem. Lept. 89. ὁ παλαιὸς νόμος οὕτω κελεύ[ει] νομοθετεῖν, γράφεσθαι μέν, ἄν τίς τινα τῶν ὑπαρχόντων μὴ καλῶς ἔχειν ἡγῆται, παρεισφέρει[ν] δ' αὐτὸν ἄλλον κκλ.

Una iam restat differentia quam maximi fecerim; in epicheirotonia nomothe-tas de legibus sciscendis abrogandisque iudicasse constat, in διορθώσει vero summum iudicium apud ipsum populum fuisse nunc probare studebo.

Qua de re quaestio exordienda est ab Aeschinis verbis κἂν τι τοιοῦτον εὑ-ρίσκωσιν usque ad περὶ ἑκάστης πράξεως, atque maxime nobis exponendum est quo-modo sint intelligenda verba καὶ τοὺς μὲν ἀναιρεῖν τῶν νόμων, τοὺς δὲ καταλείπειν, ὅπως ἂν εἷς ᾖ νόμος καὶ μὴ πλείους περὶ ἑκάστης πράξεως. Jam sunt nonnulli qui, cum nesciant quid sit faciendum his verbis, ea ab interpolatore interposita esse censent; quam tamen coniecturam Schoemannus ut nimis audacem recte refellit. Quam vero ipse vir doctissimus fert sententiam, eam minime probaverim. Legimus enim in libro de comitiis Ath. pg. 260. adn. 28. haec: »quae sequuntur apud Aeschinem καὶ τοὺς μὲν ἀναιρεῖν τῶν νόμων, τοὺς δὲ καταλείπειν, a praecedentibus seiungenda sunt: neque

enim ad ecclesiam neque ad epistatam pertinent, sed ad nomothetas, populi iussu, post illam ecclesiam, constituendos. Itaque non ὑποστιγμῇ sed μέσῃ στιγμῇ interpungendum est.« Ad nomothetas igitur verba de quibus agimus Schoemannus refert, atque cum ipse intellegat haec fieri non posse, si verba κἂν — πράξεως unam enuntiationem esse statuimus, post δήμῳ interpungit. Sed ne hac quidem ratione sententia eius probari potest, cum ne sic quidem νομοθέταις suppleri possit, sed accusativus subaudiendus sit, cum sic construere debeamus: κελεύει τὸν ἐπιστάτην καὶ τοὺς ἀναιρεῖν κτλ, deinde autem plane nesciamus de quanam re διαχειροτονία populi facienda fuerit. Quae cum ita sint, cum Platnero facio, qui solus rectam mihi videtur invenisse interpretationem, cum dicit, der att. proc. II. pg. 31 haec: hier also (i. e. in διορθώσει) wo offenbar ein verdorbener zustand der gesetzgebung vorlag und keine andere abhülfe sich darbot stand dem volke in seiner gesammtheit das abschaffen eines gesetzes zu. De populo igitur verba illa intellegit vir doctus atque ego quoque censuerim ea nihil esse nisi explicationem vocabuli διαχειροτονία. Hac vero in interpretatione offendi nos posse voce καὶ haud ignoro, credo autem hoc verbum eiciendum esse, ut omnia bene procedant, cum facillime a scriba interponi potuerit. Sed non hoc uno tantum loco Platneri sententia firmatur, sed etiam alio, qui iam multo maioris momenti est. Disertis enim verbis Aeschines dicit: προστέτακται τοῖς θεσμοθέταις καθ᾽ ἕκαστον ἐνιαυτὸν διορθοῦν ἐν τῷ δήμῳ τοὺς νόμους, ut vertam: thesmothetae iussi sunt quotannis apud ipsum populum διόρθωσιν legum facere. Quodsi apud ipsum populum διόρθωσις fieri debebat, quid hoc aliud significare potest, nisi hoc: ipsum populum de legibus abrogandis iudicasse? Schoemannus quidem verba aliter interpretatur, dicens l. c. pg. 261: thesmothetarum autem etiam hoc fortassis officium fuit, ut rationem quamdam legum emendandarum proponerent, et utrae utris praeferendae essent, eum docerent, ait enim Aeschines, eos iuberi καθ᾽ ἕκαστον etc,« sed oratoris verbis vim supposuit, quae non potest esse in iis, atque ipse vir doctus dubitanter tantum loquitur de hac coniectura. Itemque reicienda est Weidneri sententia, ex qua ἐν τῷ δήμῳ idem est ac ἐν τοῖς νομοθέταις: nullo enim loco haec interpretatio firmari potest, quem enim profert vir doctus Dem. Tim. [33], διαχειροτονίαν ποιεῖν εἰ δοκεῖ ἐπιτήδειος εἶναι τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων ἢ οὔ, eo dativus τῷ δήμῳ non pendet ex δοκεῖ sed ex ἐπιτήδειος. Populum sane nomothetas vocari si de legibus diiudicabat statim videbimus, ex quo minime sequitur etiam nomothetas τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων appellari posse.

Quodsi videmus summum iudicium in διορθώσει νόμων apud ipsum populum fuisse, quaestio oritur quodnam esse potuerit munus nomothetarum, quorum mentio

fit apud Aeschinem verbis τῶν δὲ πρυτάνεων ἀποδόντων τοῖς νομοθέταις et τοὺς δὲ πρυτάνεις ποιεῖν ἐκκλησίαν ἐπιγράψαντας νομοθέταις.

Jam Platnerus hanc difficultatem eo expedire studuit, quod dicit l. c. haec: der vom volk in betreff der sich widersprechenden gesetze gefasste beschluss blieb der prüfung und beurtheilung der nomotheten überlassen. Tamen minus verisimile videtur esse, quae placuerunt universo populo, ea postea a parte tantum civium probanda fuisse, cum tum nihil fuisset populi iudicium nisi προβολή, cuius in διορθώσει locum fuisse nusquam nobis traditur: ex Aeschinis profecto verbis haec erui non possunt. Quam ob causam Platneri sententiam reicerim, Aeschinis verba aliter interpretatus ac fieri solet. Ex Photii enim verbis sub voce νομοθέται: καὶ οἱ εἰσηγούμενοι καὶ ἐκκλησία τις Ἀθήνησιν οὕτως ἐκαλεῖτο, ἣ τοὺς εἰσφερομένους ἐδοκίμαζον νόμους,[1]) cognoscimus, populum quoque, si leges in dubium vocatas examinabat, nomothetas vocatum esse, nam de populo tantum vocabulum ἐκκλησία intellegi potest, cum ad nomothetarum, qui proprie dicuntur, consessum non quadret. Qui consessus nusquam ἐκκλησία appellatur, neque appellari potest, cum ἐκκλησία semper notionem habeat contionis, in qua universus populus erat, nomothetae autem pars tantum populi sint. Quodsi videmus ex Photii verbis nonnumquam populum Atheniensium, si quidem de legibus sententias ferebat, nomothetarum nomine appellatum esse, sequitur nos nonnullis locis pro νομοθέταις ponere posse: τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων, atque si haec facimus in iis locis quos ex Aeschine supra attulimus, omnia ibi bene procedunt. Tum enim sic prior locus vertendus est: »prytanibus tradentibus leges populo in contionem convocato qui leges diiudicaret,« itemque posterior: »prytanes populum in contionem convocare debent, in programmate suo scribentes — sic enim cum Wolfio atque Schoemanno interpretor vocabulum ἐπιγράψαντας — nomothetis« (non de nomothetis, ut vult Schoemannus, cum tum dicendum fuisset περὶ νομοθετῶν), id est: quicumque de legibus abrogandis sententiam ferre vult, qui nomotheta vult esse, is in contionem veniat. Qua ratione si Aeschinis verba intellegimus, nulla iam relicta in iis est difficultas, omniaque bene ad sensum quadrant. Unus vero est locus, qui contra hanc sententiam proferri videtur posse, Pollucis dico verba, quae exstant in onomast. VIII. 101; νομοθέται μὲν ἦσαν χίλιοι, ἐν οἷς ἐξῆν λῦσαι νόμον παλαιόν, ἀλλ᾽ οὐ θεῖναι νέον, quae ad διόρθωσιν referenda videntur esse, cum in epicheirotoniam, in qua novae

---

[1]) Paene eadem habet Lexicon Rhetoricum apud Bekkerum Anecd. Gr. p. 282. καὶ οἱ τοὺς νόμους εἰσηγούμενοι νομοθέται καλοῦνται καὶ ἐκκλησία τις Ἀθήνησι νομοθέται καλεῖται, οἳ τοὺς εἰσφερομένους ἐδοκίμαζον νόμους καὶ δι᾽ ὧν οἱ ἀσύμφοροι ἐλύοντο.

leges veteribus substituebantur, non cadant. Tamen Pollucem in errore versari hoc loco pro certo habeo, prorsus assentiens Tittmanno, qui, darstellung der griech. statsverfassungen, Leipz. 1822. pg. 148, haec dicit: Pollux meint die nomotheten seien nur für die abschaffung der alten gesetze, nicht für neu zu gebende bestimmt gewesen. er scheint in irrtum geführt worden zu sein durch eine stelle des Demosthenes, wo dieser, für einen einzelnen fall, nomotheten zu erwählen rät, blos in der absicht schädliche gesetze abzuschaffen, nicht aber neue zu machen. Dem. Olynth. III. 10. Huic igitur Pollucis loco in hac re non ita multum tribuendum est, ut nihil eo contra sententiam meam probetur.

Tamen haec hactenus. Quodsi discrimina, quae modo inter epicheirotoniam et διόρθωσιν interesse probasse mihi videor, cum similitudinibus illis conferimus, quas Schellingius levissimo adspectu vidit, vix dubitari potest, utra sententia utri praeferenda sit, equidem minime dubito cum Frankio aliisque viris doctis seiunctim in dissertatione exponere de epicheirotonia et διορθώσει.

Quo tempore nomothesia instituta sit.

Demosthenes atque Aeschines nomothesiam ab ipso Solone institutam esse nonnullis locis nobis tradunt, ut Lept. 90: οὐ γὰρ ᾤετο δεῖν ὁ Σόλων, ὁ τοῦτον τὸν τρόπον προστάξας νομοθετεῖν Aesch. Ctes· 38: τῷ νομοθέτῃ τῷ τὴν δημοκρατίαν καταστήσαντι, saepiusque, ut nulla fere dubitatio relicta esse possit. Attamen sunt qui dicant huic traditioni non ita magnam fidem habendam esse, cum constet, saepe ab oratoribus Soloni leges tribui, quas ab eo latas esse non posse eluceat. Quem in numerum praeter omnes Bakius referendus est, qui schol. hyp. V. 238. probasse sibi videtur nomothesiam non posse esse profectam a Solone. Jam videamus quae argumenta proferat vir doctus, quibus sententiam suam probet. Atque primum quidem dicit, cum aequum sit ut putemus nomothesiam excogitatam esse ad coercendam tum demagogorum audaciam, tum multitudinis in contionibus libidinem et temeritatem, necessario inde sequi prius exsistere debuisse abusum popularis potestatis, quem neque in Solonis aetatem neque in ea tempora quae non ita multo post secuta sunt cadere, sed iis tantum temporibus invalescere potuisse, quibus merces heliastarum et ecclesiastarum inventa sit. Cui argumento obstat quod leges non feruntur propter res quae factae sunt, sed ne omnino crimina committantur, ut profecto ipse Solo leges de nomothesia ferre potuerit, praesertim cum non ignoraverit quam levi animo Athenienses

essent. Huc accedit quod permultis nobis locis traditur Solonem in decem tantum annos leges suas tulisse atque verisimile est, eum Atheniensibus, si quid in iis mutare vellent, qua via id facere deberent, praescripsisse. Maxime deinde nititur Bakius in Thucydidis verbis VIII. 97. ἐγίγνοντο καὶ ἄλλαι ὕστερον πυκναὶ ἐκκλησίαι, ἀφ' ὧν καὶ νομοθέτας καὶ τἆλλα ἐψηφίσαντο εἰς τὴν πολιτείαν, quo ex loco luculentissime apparere dicit, nomothetas tum primum, id est sublato quadringentorum imperio traditaque re publica quinque milibus, creatos esse. Rectissime autem Schoemannus opusc. I. 250. Thucydidem de nomothetis extraordinariis agere dicit, cum minime credibile videatur esse Demosthenem et Aeschinem multis locis de re non multis ante se decenniis instituta tamquam de prisca atque obsoleta institutione loqui. Sin vero Bakius dicit mirum esse Thucydidem nomothetarum expressis verbis mentionem facere praeter τἆλλα nisi tum primum actio instituta fuisset de legibus sciscendis abrogandisque apud nomothetas, errare mihi videtur, cum haec mihi videatur causa fuisse cur Thucydides non τοῖς ἄλλοις comprehenderet nomothetas, quod eorum instaurationem optimum argumentum esse putabat, Athenienses illis temporibus εὖ πολιτεῦσαι, ut non ita multo post dicit. Etenimsi recta esset Bakii sententia, tum profecto Thucydides, qua est cura atque diligentia, aut vocabulum πρῶτον addidisset, aut exposuisset disertius quales homines nomothetae essent. — Alia vero sunt, mentionem dico primae prytaniae et heroum eponymorum, quibus cogi videmur statuere nomothesiam post Clisthenem institutam esse, cum constet a Clisthene demum annum in decem prytanias distributum esse itemque heroibus eponymis statuas positas esse. Tamen haec minora neque ad ipsam nomothesiam pertinent, ut nullius momenti sint ad tempus quo nomothesia instituta sit definiendum. Si igitur videmus Bakii argumenta nihili facienda esse, remanent oratorum testimonia modo laudata, ex quibus sequitur ipsum Solonem leges de nomothesia tulisse.

Pars prior Ἐπιχειροτονία νόμων.

Caput I. Quae fuerint facienda populo.

§. I. Quo die agi de legibus coeptum sit. Non quolibet tempore Athenis de legibus agere licuisse testis est Demosthenes or. Tim. 12: πρῶτον μὲν ἁπάντων χρόνος ἐστὶ γεγραμμένος ἐν ᾧ προσήκει νομοθετεῖν. 29. τὸν ἐν τοῖς νόμοις εἰρημένον χρόνον. 26. οὔτ' ἀνέμεινεν οὐδένα τῶν τεταγμένων χρόνων ἐν τοῖς νόμοις, ἀλλὰ τῆς ἐκκλησίας, ἐν ᾗ τοὺς νόμους ἐπεχειροτονήσατε, οὔσης ἑνδεκάτῃ τοῦ ἑκατομβαιῶνος μηνὸς κτλ. Jam non ita difficile est

ex his locis cognoscere quis fuerit dies constitutus primae de legibus ferendis abrogandisque actioni. Etenimsi quo anno habita est oratio Timocratea (anno 353), eo anno in prima primae prytaniae contione primum de legibus actum est, legibus autem imperatum erat, ut certis temporibus nomothesia institueretur, necessario sequitur semper ἐν τῇ κυρίᾳ ἐκκλησίᾳ μηνὸς ἑκατομβαιῶνος de nomothesia agi coeptum esse. Alia est quaestio num semper haec contio inciderit in diem undecimum; sed de hac quaestione nobis non iudicium ferendum est. cfr. Westermann. l. c. pg. 10. sq.

§. 2. De διαχειροτονίᾳ. Locus cuius in hac re maxime est habenda ratio, est or. Tim. 25: καὶ πρῶτον μὲν ἐφ' ὑμῖν ἐποίησαν διαχειροτονίαν πότερον εἰσοιστέος ἐστὶ νόμος καινὸς ἢ δοκοῦσιν ἀρκεῖν οἱ κείμενοι. Jllud ἐφ' ὑμῖν ad totum populum spectare etiamsi apud solos nomothetas loquitur Demosthenes, non est quod amplius probem, cum saepissime oratores parti populi aliquid tribuant, quod totius populi est. Ceteroquin verba ad solos nomothetas referri non possunt, cum diacheirotonia, ut elucet cum ex vocabulo πρῶτον tum ex §. 20, in prima primae prytaniae contione fieret, nomothetae autem multo post crearentur.

Jam de via ac ratione qua diacheirotonia facta sit alii alias tulerunt sententias, de quibus nunc nobis iudicandum est. Ac primum Schellingii quidem sententiam ex qua referentibus prytanibus omnes ex ordine leges perquirebantur statui rei publicae sufficerent necne, eaque de re populus in suffragium mittebatur, Frankius in censura libri Schellingiani l. c. pg. 737. recte refutavit, cum profecto fieri non posset, ut omnes leges explorarentur, cui muneri unius diei spatium non suffecisset. Quam autem ipse Frankius fert sententiam eam minime probaverim. Dicit enim vir doctus sententias de legibus certo ordine latas esse, utrum sufficere viderentur an non i. e. utrum populus propositas ab singulis novarum legum formulas, quae consentiente senatu ad populum delatae vel iam antea publice expositae essent, considerare vellet an nollet. Quodsi nollet rem transactam fuisse, si vellet, nomothetis tradendam fuisse. Unde enim scit Frankius iam in prima contione novas leges propositas fuisse? — ut nihil dicam de senatu, cuius probationem ante illam contionem nullam fuisse probare studebo infra. Quantum enim equidem scio novae leges postea demum rogabantur atque in prima de legibus contione id tantum agebatur utrum veteres leges sufficerent necne.

Alia de hac re Platneri est sententia, qui l. c. diacheirotoniam ita factam esse opinatur ut proedri ex populo quaererent utrum omnino sufficere viderentur leges illis temporibus valentes an novae ferendae essent. Tum in suffragium ivisse qui leges retinendas esse censerent, deinde iis qui aliter sentirent loqui licuisse eosque causas

attulisse quibus commoti legem abrogandam esse putarent, aliisque causis populum ad suam ipsorum sententiam traducere studuisse, denique suffragia numerata esse et si populi maior pars leges servandas esse censuisset, omnes rogationes reiciendas fuisse. Haec est Platneri sententia, sed ut bene monet Westermannus l. c. pg. 18 vix est quod ea minus verisimile proferri potuerit. Etenimsi altera populi pars iam censuerat leges veteres non abrogandas esse, quid tum opus erat alteram causas afferre, cum hae causae decretum populi subvertere non possent? Quodsi populi maior pars sententiam tulerat, res ad finem perducta erat.

Sola restat Schoemanni sententia, quae mihi ut Westermanno valde placet. Opinatur enim vir doctissimus populum suffragia de legibus ferre non potuisse, nisi antea edoctum ab oratoribus aut reliquendas veteres leges aut alias in eorum locum substituendas suadentibus. Auditis vero suasorum dissuasorumque orationibus populum in suffragium ivisse. Quae si recta sunt, tum profecto aequa condicione disceptabant cum qui suaderent tum qui dissuaderent, quorum plane diversa fuisset res, si recte se haberet sententia Platneri. cfr. Schoemann de comt. Ath. pg. 254.

§. 3. De ordine ex quo de legibus agendum erat. Certo ordine de singulis legum classibus in epicheirotonia sententias latas esse cum per se verisimile est, tum etiam significatur or. Tim. 20: *ἐπιχειροτονίαν ποιεῖν τῶν νόμων πρῶτον μὲν περὶ τῶν βουλευτικῶν, δεύτερον δὲ τῶν κοινῶν εἶτα οἳ κεῖνται τοῖς ἐννέα ἄρχουσιν, εἶτα τῶν ἄλλων ἀρχῶν.* Hunc vero ordinem non posse esse genuinum eo intellegitur quod omnino desunt leges de cultu deorum, de quibus et ipsis in nomothesia agendum fuisse docet ipsa causa Timocratea, cum Timocrates pollicitus esset se legem de Panathenaeis rogaturum esse. Jam cum nullo alio loco certa inveniamus testimonia de hoc ordine, nihil nobis relictum est quam ut eum coniectura expedire studeamus; quae coniectura non ita difficilis esse potest. Constat enim, ut apparet ex Tim. 119. *μηθ' ὑπὲρ τῶν ἱερῶν μηθ' ὑπὲρ τοῦ δήμου νομοθετεῖ,* omnes leges primum in duas partes divisas fuisse, quarum prior spectabat ad deorum cultum, posterior ad populum. Deinde leges de populo et ipsae quoque in duas partes dividebantur, ut elucet ex Tim. 192: *δύο εἴδη περὶ ὧν εἰσὶν οἱ νόμοι καθ' ἁπάσας πόλεις, ὧν τὸ μὲν ἐστι δι' ὧν χρώμεθα ἀλλήλοις καὶ συναλλάττομεν καὶ περὶ τῶν ἰδίων ἃ χρὴ ποιεῖν διωρίσμεθα καὶ ζῶμεν ὅλως τὰ πρὸς ἡμᾶς αὐτούς, τὸ δ' ὃν τρόπον δεῖ τῷ κοινῷ τῆς πόλεως ἕνα ἕκαστον ἡμῶν χρῆσθαι, ἐὰν πολιτεύεσθαι βούληται καὶ φῇ κήδεσθαι τῆς πόλεως,* ut tria omnino sint legum genera, quorum primum pertinet ad *τὰ ἱερὰ* alterum ad *τὰ κοινὰ* tertium ad *τὰ ἴδια* Eandem fere divisionem Photius s. v. *κύρβεις* exhibet, ubi verba sunt haec: *τρίγωνοι πίνακες ἐν οἷς οἱ περὶ τῶν ἱερῶν νόμοι ἐγγεγραμμένοι ἦσαν καὶ οἱ πολιτικοί. καὶ ἄξονες δὲ ἐκαλοῦντο οἱ περὶ τῶν ἰδιωτικῶν*

ἔχοντες τοὺς νόμους καὶ τετράγωνοι. Qua in divisione reliqua quidem eadem sunt ac ea de quibus supra locuti sumus, πολιτικοὶ autem νόμοι iis legibus respondent quae ad τὰ κοινὰ spectant. Videmus igitur hanc divisionem, quam ab ipso Solone profectam esse permultis locis affirmatur, usitatissimam fuisse, ut nihil nos impedire possit quominus putemus secundum eundem ordinem in nomothesia quoque de legibus actum esse, praesertim cum nomothesia quoque ab ipso Solone instituta sit.

§. 4. De syndicis. Homines ab Atheniensibus creatos esse qui apud nomothetas veteres leges in dubium vocatas defenderent, ex perpaucis tantum locis cognoscimus, quos omnes hic affere liceat, quo facilius de munere virorum illorum disputare possimus.

A. or. Lept. 146: ᾕρηνται δὲ τῷ νόμῳ σύνδικοι, καὶ μάλισθ᾽ οἱ δεινοὶ λέγειν ἄνδρες Λεωδάμας Ἀχαρνεὺς καὶ Ἀριστοφῶν Ἀζηνιεὺς καὶ Κηφισόδοτος ἐκ Κεραμέων καὶ Δεινίας Ἐρχιεύς. B. or. Tim. 36: τοὺς συνηγόρους οὓς χειροτονεῖτε δύναιτ᾽ ἂν πεῖσαί τις σιωπᾶν. C. or. Tim. 23: αἱρεῖσθαι δὲ καὶ τοὺς συναπολογησομένους τὸν δῆμον τοῖς νόμοις, οἳ ἂν ἐν τοῖς νομοθέταις λύωνται, πέντε ἄνδρας ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων, τῇ ἑνδεκάτῃ τοῦ ἑκατομβαιῶνος μηνός.

Jam quaestio de syndicis exordienda est ex loco C, quem Westermannus l. c. pg. 43 pro spurio habet planeque omittendum esse putat. Sed ut mea fert opinio profecto ad eum respiciendum est, etiamsi forte concedendum est eum non eandem praebere legem quam ipse Solo tulerat. Atque quo facilius quid sit sentiendum de hoc loco perspici possit, causas quas Westermannus attulit paulo accuratius perquiramus. Et primum quidem vir doctus verbo συναπολογησομένους offenditur, dicens mirum esse quod alia profertur notio propria in lege ac reliquis locis. Sed ut omittam alia, quae tandem est illa notio propria? Utroque enim loco A et B orator aliud âffert nomen ut ne ex his quidem locis intellegere possimus, quo nomine ipse Solo eos viros appellaverit. Denique non apparet quibus de causis falsarius ille qui dicitur simplicem notionem mutaverit aliamque sibi finxerit qua litteras corruptas esse statim apertum manifestumque fieri debebat. Quae cum ita sint, equidem pro certo habuerim Solonem illos homines συναπολογησομένους nominasse, postea autem usu forensi, quo etiam alias notiones cum apud Romanos tum apud Graecos immutatas esse satis notum est, nomen illud mutatum esse in breviora duo nomina. Alteram causam qua sententiam suam firmet Westermannus petit ex verbis τῇ ἑνδεκάτῃ τοῦ ἑκατομβαιῶνος μηνός, pro quibus scribendum fuisse dicit sive εὐθὺς τῇ ἑνδεκάτῃ τῆς πρυτανείας sive εὐθὺς ἐν τῇ κυρίᾳ ἐκκλησίᾳ, cum conexus desideretur cum antecedentibus. Atque ut nobis traditus est ille locus opus sane est illo conexu, tamen equidem ob

hanc causam legem, vel ut rectius dicam extremam magnae illius legis partem, non pro spuria habuerim sed revocaverim hoc ad compilatoris inscitiam. Nam ut mihi persuasum habeo, qui legem illam composuit, is ipsius Solonis de syndicis legem habuit, cui legi nonnulla addidit quibus conexus fieret, qualia sunt particulae *δὲ* et *καὶ*, alia autem adhibuit quibus sensum explicaret ut verba *οἳ ἂν ἐν τοῖς νομοθέταις λύωνται*, quae verba in ipsa Solonis lege esse non potuisse facile intellegitur, alia denique omisit, de quibus infra videbimus. Atque equidem veterem de patronis legem ab ipso Solone latam sic restituendam esse arbitror: *αἱρεῖσθαι τοὺς συναπολογησομένους τὸν δῆμον τοῖς νόμοις πέντε ἄνδρας καθ' ἕνα ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων τῇ ἑνδεκάτῃ τοῦ ἑκατομβαιῶνος μηνός.* Quam ad sententiam maxime adductus sum numero qui in hac lege legitur, de quo numero paulo post agendum est. Jam restat ut pauca dicamus de causa qua commotus Dindorfius Dem. VI. 974. hanc legem pro spuria habendam esse censeat. Dicit enim vir doctus non apparere cur nomothetae in tertia demum contione, syndici vero in prima creati sint. Quod omnibus praeter ipsum virum doctum luculentissime apparere arbitror! Videndum enim erat ut quam plurimum temporis patronis illis suppeteret, ne eorum qui novas leges rogaverant orationibus apud nomothetas circumvenirentur, cum illis hominibus satis multum temporis esset ad parandas causas. Huc accedit quod syndicis inspiciendae erant leges expositae, quod sane accuratius faciebant, si a populo iussi erant defendere veteres leges, quam si licuit tantum iis, ut omnibus civibus, eas defendere. Sed quid pluribus verbis in hac causa reicienda commorer? Vereor ne haec ipsa nimium multa videantur esse.

Quod nobis traditur loco C. de numero syndicorum pugnare videtur cum loco Λ, ubi quattuor tantum nominantur patroni legis a Leptine rogatae. Quam discrepantiam quae videtur sagacissima coniectura sustulit F. A. Wolf. or. Leptin. pg. CXLV, ubi opinatur in causa Leptinea inter syndicos ipsum Leptinem fuisse, idcirco autem eo loco ubi syndicorum fides suspecta redditur praetermissum esse, quod tota paene oratio eum persequitur. »Ac cum plura loca doceant et ipsum Leptinem pro suggestu esse dicturum, qui id alia quam syndici persona facere potuerit, haud facile dixerim.« Quae coniectura mihi valde placet, cum verisimillimum sit eum qui legem rogaverat, dum vivebat syndicum eius fuisse. Atque profecto nemo quisquam legem melius defendere poterat quam qui auctor eius fuerat. Sin vero de hac re nihil legitur in Solonis illa lege, non est quod cum Westermanno mireris, cum haec lege constitui non possint, sed usu fiant. Quodsi videmus numerum qui exstat in lege illa optime congruere cum eo qui Wolfii coniectura efficitur, hoc summo argumento esse debet legem illam genuinam esse. Non enim alia exstant testimonia, ex

quibus falsarium illum qui dicitur numerum sumpsisse putemus, ut statuendum esset aut consensum illum casu factum esse, — aut falsarium Wolfii coniecturam praesensisse — nihil enim ut Ciceronis verba afferam, est quod non fieri possit. Quod dicit Westermannus numerum syndicorum non definitum fuisse, sed ex rebus aut plures aut pauciores creandos fuisse, minime probandum est, cum non verisimile sit Solonem, quem res multo minoris momenti accuratissime considerasse videmus, hunc numerum neglexisse. Deinde quid causae esse potuit cur plures quam quinque patroni crearentur? Etenimsi de lege grandiore agebatur, tum profecto satis superque erat si quinque orationes pro ea habebantur, praesertim cum, cui non satis dictum esse videretur, et ipse legem defendere posset. Sin vero lex minoris momenti in iudicium vocabatur, tum concedendum est non opus fuisse quinque patronis, cum unus vel duo rem ad finem perducere possent, atque equidem putaverim in talibus legibus defendendis syndicos ex ipsorum numero unum vel duos elegisse quos optime leges illas defensuros esse putarent. Ceteroquin etiam ex hac re cognoscimus quanta diligentia Solo fuerit, qui, ne longius in contionibus de numero disceptaretur, medium ut ita dicam lege constituit numerum. Videmus igitur quinque patronos publice creatos esse, iam quaerendum nobis est, utrum singulis legibus quini syndici constituti sint, an omnes leges quae in dubium vocabantur ab iisdem quinque hominibus defendendae fuerint. Atque sunt quidem qui posteriorem sententiam probent, equidem autem a parte scholiastae steterim, qui ad Tim. 23. haec monet: πέντε ἄνδρας καθ' ἕκαστον νόμον ἐχειροτόνουν. Nam et per se verisimilior est haec sententia, cum nimis magna fuisset opera, si omnium simul legum patrocinium illis quinque hominibus suscipiendum fuisset, et testimonio firmatur. Legimus enim or. Lept. 152 haec: ἔστι δὲ καὶ μάλ' ἔχων νόμος ὑμῖν καλῶς, οὐκ ἐπὶ τούτοις τεθεὶς, ἀλλ' ἵνα μὴ τὸ πρᾶγμα ὥσπερ ἐργασία τισὶν ᾖ καὶ συκοφαντία, μὴ ἐξεῖναι ὑπὸ τοῦ δήμου χειροτονηθέντα πλεῖον ἢ ἅπαξ συνδικῆσαι. Quae verba tum tantum recte explicari possunt, si posteriorem sententiam accipimus. Etenimsi ab iisdem quinque hominibus omnes leges in dubium vocatae defendi debebant, tum concedendum est quasi quaestum defensionem illam factam fuisse. Praeterea prior sententia manifesto repugnat his verbis, ex quibus semel tantum leges defendere civi licuit — quod semel ad eundem annum, non ad totam syndicorum vitam referendum esse non est quod dicam. Sin vero scholiastae sententiam sequimur, tum omnia bene eveniunt cognoscimusque qui Demosthenes illos homines vituperare potuerit: eodem enim anno complures leges defenderant, cum ex lege unam tantum eodem anno legem defendere liceret. Quodsi desunt verba καθ' ἕνα sive καθ' ἕκαστον in lege illa, quam genuinam esse supra demonstrasse mihi videor, hoc revocandum

mihi videtur esse ad neglegentiam epitomatoris, qui haec verba ut supervacanea omisit. De modo quo creandi fuerint patroni legum, certiores fimus loco B: τοὺς συνηγόρους οὓς χειροτονεῖτε. Atque creatos esse quos optime locuturos esse populus putabat cum per se verisimillimum est, tum apertis verbis dicitur loco A: ᾕρηνται μάλισθ' οἱ δεινοὶ λέγειν ἄνδρες. Attamen nonnumquam factum esse ut syndici ab iis qui legem abrogandam esse censuerant corrumperentur, videmus ex B: δύναιτ' ἂν πεῖσαί τις σιωπᾶν τοὺς συνηγόρους, quae profecto orator dicere non poterat, si numquam ad illud tempus facta erant. Sed sit de syndicis, reliqua quae ad defendendas leges pertinent perpauca sunt. Ut enim iam supra significavi cuilibet civi — qui quidem ἐπίτιμος erat, nam hoc semper subaudiendum est ubi legitur ὁ βουλόμενος vel tale quid, cfr. M. H. E. Meier, die privatschiedsrichter und öffentl. diäteten Athens pg. 7. — licuit et ipsi leges defendere, cuius rei permulta habemus testimonia, quo ex numero hic pauca liceat afferam: Andoc. de myst. 84. ἐξεῖναι δὲ καὶ ἰδιώτῃ τῷ βουλομένῳ εἰσιόντι εἰς τὴν βουλὴν συμβουλεύειν ὅτι ἂν ἀγαθὸν ἔχῃ περὶ τῶν νόμων.

Dem. Tim. 24. ἵν' ὁ βουλόμενος σκέψηται κἂν ἀσύμφορον ὑμῖν κατίδῃ τι φράσῃ καὶ κατὰ σχολὴν ἀντείπῃ. De via defensionis videbimus cap. V, ubi agendum erit de actione apud nomothetas.

Haec sunt de quibus agebatur in prima primi mensis contione, iam ad ea pervenimus quae non ita multo post eam fiebant, atque primum disseremus

§. 5. De legibus exponendis. Ut, quicunque volebat legum rogationes legere quaeque non iusta in iis putaret esse ad nomothetas deferre posset, legum imperio et praescripto fiebat ut omnes rogationes in album descriptae ante statuas eponymorum exponerentur. Cuius rei testimonia sunt haec: Tim. 18. πρῶτον μὲν ἐκθεῖναι πρόσθεν τῶν ἐπωνύμων γράψαντα σκοπεῖν τῷ βουλομένῳ. Tim. 25. ἐν δὲ τῷ μεταξὺ χρόνῳ προσέταξεν τοῖς βουλομένοις εἰσφέρειν ἐκτιθέναι τοὺς νόμους πρόσθεν τῶν ἐπωνύμων. Tim. 36. ἐκτιθέναι κελεύει τοῦ προειδέναι πάντας. Tim. 23. ὁ βουλόμενος Ἀθηναίων ἐκτιθέτω πρόσθεν τῶν ἐπωνύμων γράψας τοὺς νόμους οὓς ἂν τιθῇ. ὁ δὲ τιθεὶς τὸν καινὸν νόμον ἀναγράψας εἰς λεύκωμα ἐκτιθέτω πρόσθεν τῶν ἐπωνύμων.

Jam cum inciderimus in loci postremi mentionem hic pauca de Schellingii errore inserere liceat, qui error etiamsi non pertineat ad expositionem tamen hoc loco optime refellitur. Dicit enim l. c. pg. 47. vir doctus duobus modis apud Athenienses potuisse ex instituto Solonis legem ferri, aut si populus in prima hecatombaeonis mensis contione novam legem expostulasset aut si quis sua sponte suoque consilio legem rogaret atque exponeret, atque priorem classem §. 23. significari verbis τὸν καινὸν νόμον, posteriorem verbis οὓς ἂν τιθῇ et ὅπως ἂν πρὸς τὸ πλῆθος κτλ. Ipse autem

concedit Schellingius has duas legum ferendarum rationes apud oratores ita commixtas esse ut satis difficile sit quae verba ad unam et quae ad alteram spectant discernere. Sed hoc non solum difficile est, sed ut mihi videtur omnino fieri non potest, cum duae illae rationes omnino non exstent. Ut enim omittam Schellingium in hoc solo loco niti, quem corruptum esse luculentissime Westermannus l. c. pg, 40. demonstravit, quid tum causae esse posset cur populus in contionem convocaretur qui de legibus sententias ferret? Nonne, si cuilibet postea licebat sua sponte legem rogare, plane supervacaneum erat contionem haberi de legibus in qua ab universo populo constitueretur de quibus legibus apud nomothetas agendum esset? Quod mihi quidem cum Westermanno videtur, atque persuasum mihi habeo Taylori sententiam rectam esse, ex qua verba ὁ δὲ τιθεὶς κτλ. sunt »alia constitutio aliunde sumpta.«

Sed ad ipsam expositionem transeamus videamusque utrum rogationes ab ipsis rogantibus exponendae fuerint an fortasse huic muneri ministri publice constituti fuerint. Locis quos supra attuli neutra firmatur sententia cum verbis ἐκτιθέναι et γράφειν utrumque significari possit. Attamen unum locum invenisse mihi videor quo posteriorem sententiam veram esse evincitur, Andoc. de myst. 83. dico: οἵδε ᾑρημένοι νομοθέται ὑπὸ τῆς βουλῆς ἀναγράφοντες ἐν σανίσιν ἐκτιθέντων πρὸς τοὺς ἐπωνύμους σκοπεῖν τῷ βουλομένῳ, de quo loco paulo copiosius agere mihi liceat. Cum enim viri docti nesciant quid duplici nomothetarum generi faciant — nam commemorantur in eodem psephismate postea etiam alii nomothetae οἱ νομοθέται, οὓς οἱ δημόται εἵλοντο, ἐπειδὴ ὀμωμόκασιν — alii alias tulerunt sententias, maxime autem Grotius, history of Greece VIII 296, erravit, qui unum tantum genus esse dicit. Putat enim vir doctissimus priores nomothetas ex posterioribus creatos eamque ob rem ipsos nomothetas nominatos esse. Attamen non vidit permulta huic sententiae obstare. Etenimsi priores nomothetae ex posterioribus creati essent, primum de hac re pauca in lege dicenda fuissent, deinde vereor an pars nomothetarum οἱ νομοθέται nominari possit, denique, quod maximi momenti est, ei nomothetae »in whom the power of peremtory decision rested« in quarta demum, ut infra videbimus, contione creabantur, alteri autem generi munere perfungendum erat ante istam contionem, ut omnino non possent eligi ex numero nomothetarum posteriorum. Quae cum ita sint sine dubio cum Reiskio Wolfioque duo genera nomothetarum discernenda sunt, quorum prius eam ob solam rem creabatur ut rogationes in album describeret et ante statuas exponeret, ut re vera illi homines essent νομο—θέται. Atque per se verisimile est rem publicam ipsam leges exponendas custodivisse, cum alioquin permultae fraudes fieri possent, si qui leges a populo non rogatas exponerent. Praeterea per noctes

tabulae in quas leges descriptae erant, condendae erant, ne ab hominibus malevolis laederentur neve tempestatibus delerentur. Quo ex ordine hi ministri creandi fuerint, etiamsi non pro certo traditum est, tamen non ita difficile colligitur: creabantur a senatu, quid verisimilius quam eos ex ipso senatu electos esse? Quot vero fuerint hi nomothetae non constat, cum numerus loco citato interciderit. Tamen viri docti ex οἴδε, quod profecto corruptum est, hunc numerum elicere studuere, atque Schoemannus de com. pg. 271. scribendum esse censet οἱ Λ aut Λ Ε i. e. triginta aut triginta quinque, Reiskius autem legi vult οἱ ΔΕ i. e. οἱ δέκακις πέντε = οἱ πεντήκοντα. Quae coniecturae licet sint sagacissimae, mihi cum Frohbergero ad Lysiam XXX pg. 27. 43. magis arridet Sluiteri sententia, ex qua restituendum est: οἱ δέκα. Primum enim ni fallor post οἴδε in codicibus exstat lacuna, quae optime expletur litteris κα, deinde ad rem tam parvi momenti peragendam non opus videtur fuisse triginta vel quinquaginta hominibus, denique cum hac sententia coniungi possunt verba scholiastae ad Aristoph. vesp. v. 772: εἶχον δὲ καὶ ἑκάστη φυλὴ ἕνα θεσμοθέτην καὶ γραμματέα εἰς τὸ τοὺς νόμους εἰσηγεῖσθαι. Quem locum non prorsus reiecerim, ut fieri solet, cum numerus qui eo exstat iustus mihi videatur esse, etiamsi de decem tribubus scholiasta garrit. Deceptus enim numero decem ex singulis tribubus unum scribam creandum fuisse censet, quod minime probandum est, quia pugnat cum Andocidis verbis. Schoemannus de com. 254. 13. haec verba ad rem plane alienam refert, persuasissimum autem habeo quae dicuntur de decem scribis ea ad id nomothetarum genus spectare, de quo nunc agimus, vocabulum εἰσηγεῖσθαι autem zeugmate quodam de iis quoque dictum esse quae scribis vel nomothetis facienda erant, cum re vera thesmothetarum tantum munus significet.

§. 6. De legibus a scriba recitandis. Rogationes vero non solum publice exponendae erant, sed etiam in contionibus primae prytaniae recitandae, ut quam plurimi eas cognoscerent. Atque recitatorem legum a senatu constitutum fuisse leniter Demosthenes significat or. Tim. 38: νόμον εἰσήνεγκε — οὐ παραναγνούς, apertis autem verbis dicit Lept. 94. καὶ τῷ γραμματεῖ παραδοῦναι, τοῦτον δ' ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἀναγιγνώσκειν, ἵν' ἕκαστος ὑμῶν ἀκούσας πολλάκις καὶ κατὰ σχολὴν σκεψάμενος, ἂν ᾖ δίκαια καὶ συμφέροντα ταῦτα νομοθετῇ. In compluribus igitur contionibus leges novas a sriba recitatas fuisse docent numerus pluralis ἐν ταῖς ἐκκλησίαις et vocabulum πολλάκις, quot autem intellegendae sint ecclesiae infra videbimus cap. III, ubi de tempore quo nomothetae creandi fuerint agemus. Hic valde vituperandus est Bakius qui schol. hyp. V. 276. or. Lept. 94. miro modo interpretatur. Summa enim cum gravitate vir doctus contendit, quae illo loco traduntur, ea prorsus falsa esse, primum quod aliis locis

nihil de legibus recitandis dicatur, deinde quid porro, ait, hoc est quod a scriba eadem in pluribus contionibus recitanda dicuntur sine ullo eventu, tantum ut ea audiantur? Jam cum haec ita sint, absonum videri necesse esse tum illud ἐν ταῖς ἐκκλησίαις tum πολλάκις, atque sic locum emendandum esse: ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἀναγιγνώσκειν, ἵνα ἕκαστος ἀκούσας καὶ πολλάκις κτλ, atque sub illa una ἐκκλησίᾳ intellegendam esse alteram primae prytaniae contionem! Quid vero est quod hac ipsa sententia magis absonum proferri possit? Primum enim erravit vir doctissimus quod dicit nullo alio loco de hac re disseri: nonne vidit locum orationis Timocratae, quem supra attuli, an quo modo eum interpretaturus est? Deinde summa erat causa, cur quam saepissime leges a scriba recitarentur — ipse Demosthenes eam affert, ut, qui quidem videre vult, eam cognoscere possit. Optime mihi quidem de hac Bakii sententia iudicasse videtur Schoemannus qui opusc. I. 254. haec dicit: quid de Leptineo loco? noli quaerere, hic quoque Bakius sui similis. In Leptinea, inquit, vel legendum vel certe intellegendum ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, in quo nescias utrum magis admireris mutandine levitatem an intelligendi sollertiam, ut cum plures dicantur ecclesiae, tamen una tantum audiatur!

Caput II. De senatu nomothesias participe.

Testimonia de hac re sunt haec: A. Andoc. de myst. 83. οἱ δέκα νομοθέται παραδιδόντων ταῖς ἀρχαῖς τοὺς νόμους· τοὺς δὲ παραδιδομένους νόμους δοκιμασάτω πρότερον ἡ βουλὴ οἱ πεντακόσιοι καὶ οἱ νομοθέται. B. Dem. Tim. 26. τὸν νόμον εἰσήνεγκε καὶ τοῦτ᾽ ὄντων Κρονίων καὶ διὰ ταῦτ᾽ ἀφειμένης τῆς βουλῆς. C. Pollux VIII. 101. τοὺς γὰρ νέους νόμους ἐδοκίμαζεν ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος καὶ τὰ δικαστήρια. D. [Xen.] de re publ. Ath. III. 2. τὴν βουλὴν πολλὰ βουλεύεσθαι περὶ νόμων θέσεως. E. Dem. Tim. [27.] συννομοθετεῖν δὲ καὶ τὴν βουλὴν

Jam priusquam quid ex his locis colligendum sit ipsi dicamus, virorum doctorum de hac re audiamus sententias, atque primus refellatur Bakius, qui Schol. hyp. V. 263. demonstrare studet nullam fuisse senatus auctoritatem in epicheirotonia legum, atque primum maximi argumenti esse dicit quod apud Demosthenem omnino non fit mentio senatus, ubi omnes exponuntur nomothesias cautiones atque condiciones, ne or. Tim. 42 quidem. Ut autem nihil dicam Demosthenem nomothesiam non plene describere — ut iam vidimus eum syndicorum numerum non adhibuisse et infra videbimus eum nihil dicere de διορθώσει νόμων — recte Schoemannus opusc. I.

255 monet, omnino non causam fuisse cur Demosthenes disertis verbis dissereret de senatu, cum per se intellegeretur eius auctoritatem in re tam gravis momenti non neglegendam fuisse. Deinde Bakius psephisma Tisameni, quod ipsius sententiae obstat, sine ulla causa corruptum esse dicit, eoque sententiam probasse sibi videtur, itemque Pollucis testimonium eo refellisse sibi videtur quod dicit vocabulum δοκιμάζειν non quadrare in ea quae senatui facienda erant. Atque de priore causa non est quod dicam, praeter hoc: indignum est testimonia nullis causis adlatis eam ob solam rem pro spuriis habere, quod repugnant sententiae nostrae; quod vero attinet ad posteriorem causam, non vidit vir doctus vocabulum δοκιμάζειν, quod ne ad populum quidem sed ad solos nomothetas quadrat, breviloquentiae causa de tribus illis iudiciis dictum esse. Quamquam quid de hac sententia amplius loquor? neminem enim fore confido, qui Bakium sequatur. Eandem fere sententiam quam Bakius profert Westermannus l. c. pg. 29, ita tamen, ut non prorsus neget senatum participem fieri potuisse nomothesias, quod ex loco A elucere concedit, contendat vero non semper eum nomothesiae interfuisse, sed nonnumquam tantum extra ordinem adhibitum esse. Atque initium quaestionis Westermannus facit ab loco E, de quo haec fere dicit. Verba illa supra adlata, aut supervacanea esse, si semper senatus particeps erat actionis de legibus ferendis abrogandisque, cum tum non opus fuisset haec in psephismate rogari, aut si nonnunquam tantum senatus advocabatur iis contineri, quae vix credi possint, cum minus verisimile sit Timocratem quique partes eius sequebantur tam impudentes fuisse, ut senatum non modo non removerent sed etiam extra ordinem adhiberent. Qua de causa psephisma illud pro spurio habendum esse, ex alia vero lege cognosci, si quis in gratiam debitorum publicorum legem rogare vellet eum antea senatum de hac re certionem facere debuisse. Quae cum ita sint verisimile esse, senatus auctoritatem in nomothesia positam fuisse in hac una re. Haec est Westermanni sententia, cui quantum ad psephisma illud attinet assentior cum mihi quoque in eo permulta inesse videantur propter quae reiciendum est. Quod vero de ipso senatu dicit vir doctus, hoc non probaverim. Quo enim modo, si Westermanni sententiam accipimus, Pollucis verba interpretabimur? Non enim ad eas solas leges quibus de debitoribus rei publicae agitur, spectat vocabulum δοκιμάζειν, sed ad omnes leges quae in dubium vocabantur. Deinde Xenophontis πολλά de una re intellegi non potest. Tum cur Demosthenes mentionem fecerit βουλῆς ἀφειμένης ex illa sententia non elucet neque videmus cur Timocrates diem elegerit, quo senatus non convocabatur. Etenimsi senatus eas solas leges probare debebat, quae ad debitores publicos pertinebant, tum Timocrates non diem festum sibi eligere debebat, cum non

rogaturus esset legem de illis hominibus sed de Panathenaeis, ut nihil ei cum senatu agendum fuisset. Denique, si nonnumquam tantum adhibebatur senatus, causae sane esse debebant cur adhiberetur, quae causae quales fuerint anno 403, quo decretum Tisameni latum est, non intellegi posse mihi concedendum est. Atque qui homines discernebant, utrum senatus advocandus esset necne? Propius ad verum Schoemanni sententia accedit, de qua nunc iudicandum est. Qua ex sententia senatus semper nomothesiae intererat et rogationes ei tradendae erant qui eas cognosceret probatasque sua auctoritate ad populum ferri permitteret, priusquam orator aut alius quidam in prima contione veterem quamdam legem abrogandam esse censeret novamque ipse commendaret. Non ita multo post, de com. pg. 258. sq, ubi de Pollucis verbis agit, vir doctus haec dicit: »quodsi non ante ferendam ad populum legem senatus consulendus erat, sed postea, nulla erat eius auctoritas.« Hoc sane recte vidit Schoemannus semper senatum in nomothesia adhibendum fuisse, erravit vero de tempore quo id faciendum erat. Primum enim, ut leviorem errorem primum refellamus, nullo loco nobis traditum est in ipsa prima contione novas leges commendandas fuisse, quin etiam ex Tim. 25. ἐν δὲ τῷ μεταξὺ χρόνῳ προσέταξαν τοῖς βουλομένοις εἰσφέρειν κτλ. luculentissime apparet post primam demum contionem id fieri debuisse. Deinde anteaquam habita est prima de legibus contio nemo scire poterat num omnino placeret populo de legibus abrogandis agere, neque notum erat, quaenam leges in dubium vocarentur, ut senatui lex examinanda probandaque nondum proponi posset, cum, qui rogabat, et ipse tempus perdidisset et senatui oneri fuisset. Deinde quid faciendum fuisse censet Schoemannus, si pro lege, quam abrogandam esse populus censuerat, senatui nova non proposita erat, quod facillime evenire potuisse concendendum est? Num tum iterum senatus convocandus erat qui denuo in consilium iret de tali lege? an fortasse statuendum est de eiusmodi legibus senatui omnino non deliberandum fuisse? Jam videmus dubitationes moveri, quae ex Schoemanni sententia solvi non possunt. Adductus videtur esse vir doctus ad hanc sententiam positione verborum loco C. Dubitaverim autem num huic positioni tantum tribui possit. Analogiae vero, quam pro argumento Schoemannus adhibet, mihi non videtur locus esse, cum nomothesia sit res plane singularis neque talis quae cum aliis commode comparetur. Haec sunt quae adhuc de hac re disputata sunt, iam restat ut quae ipsi de ea sentiamus exponamus. Atque ut mea fert opinio senatus semper particeps fuit actionis de legibus, qua in re cum Schoemanno consentio, dissenserim autem de tempore quo illa probatio legum facienda fuerit. Mihi enim post primam mensis hecatombaeonis contionem leges novae senatui traditae videntur esse, etiamsi ipsum

diem quo tradendae fuerint pro certo indicare non possum.[1]) Quam ad sententiam maxime eo adductus sum quod nobis traditum est de causa Timocratea. Etenimsi ante primam contionem leges senatui tradendae fuissent, talem fraudem Timocrates committere non potuisset, cum senatus legem eius profecto reiecisset. Sin vero ausus esset nomothetarum iudicio aliam proponere legem quam a senatu probatam, iudicium illud a thesmothetis, qui ei praeerant, dimittendum erat ut hoc quoque modo fraus prohibita esset. Nunc vero res ita se habet. Timocrates in contione dixerat se legem de Panathenaeis rogaturum esse eoque impetraverat ut sibi permitteretur extra ordinem in posterum diem nomothetas convocare. Qua re nondum venia ei data erat consulendi senatum, sed cum postridie dies festus esset, eum consulere non poterat, cum diebus festis senatus non convocaretur: ne autem senatus quoque extra ordinem convocaretur timere non debebat Timocrates, cum causa levior videretur esse, quia Athenis quae ad Panathenaea spectabant optime parata solebant esse. Hac autem ipsa causa apparet cur Demosthenes commemoraverit senatum fuisse dimissum, Timocrates vero diem elegerit quo eum consulere non poterat. Aliam causam cur post primam contionem senatum consulendum fuisse statuendum sit invenimus, si ipsam senatus probationem contemplamur, quam sic mihi finxerim. Posteaquam traditae sunt leges in album scriptae universo senatui a ministris illis, de quibus supra locuti sumus, senatores eas ex iis discrevere quas cum propter formam tum propter argumentum iis quae legibus instituta erant repugnare videbant, quibus reiectis reliquas ad nomothetas ferendas curaverunt, apud quos denuo probarentur. Qua senatus probatione nomothetarum munus valde sublevatum esse facile intellegitur. Quae sententia si vera est, atque equidem non video quid ei repugnare possit, dubitationes illae quas ex Schoemanni sententia oriri supra vidimus, tolluntur omniaque bene procedunt. Senatus vero auctoritas etiam hac ratione non parva erat. Quo die senatus convocatus sit ut de legibus ageret, pro certo affirmari non posse iam supra significavi, verisimillimum autem videtur id factum esse inter tertiam et quartam primae prytaniae ecclesiam, inter eam in qua de condicionibus quibus nomothetae eligendi essent agebatur, eamque in qua nomothetae creabantur. Nam ut mihi persuasum habeo rogationes usque ad tertiam tantum contionem publice exponebantur. Praeter legum probationem senatui etiam alias res minoris momenti faciendas

---

[1]) Dubitanter de eadem re nuper inveni F. A. Wolf cogitare, qui Lept, CXXXIV. haec dicit: quo facto (i. e. expositis scribaeque traditis legibus) an prius (incertum enim) senatus consulto erat opus etc.

fuisse, quales commemorat Westermannus l. c. pg. 31. (die teilnahme des senats bestand in formeller beziehung wol nur in der berufung der volksversammlung zur epicheirotonie der gesetze und zu den debatten über die nomotheten durch die prytanen und etwa noch in der verlesung der neu vorgeschlagenen gesetze in den dazwischen fallenden volksversammlungen durch den ratsschreiber) per se intellegitur, tamen haec a parte tantum senatus fiebant. Probationi enim illi universum senatum interfuisse docet locus A, siquidem Fr. Blass sequimur, pro codicum lectione: *ἡ βουλὴ καὶ οἱ νομοθέται οἱ πεντακόσιοι* scribentem *ἡ βουλὴ οἱ πεντακόσιοι καὶ οἱ νομοθέται*, de qua coniectura amplius disserendum est cap. III. §. 1.

Caput III. De nomothetis.

§. I. Quot fuerint creandi nomothetae. Vocabulum *νομοθέτης* apud Atticos triplicem habet notionem, primum enim significat eum qui novam legem rogat, deinde eum qui iudex de hac rogatione fit, denique universum populum, quas tres notiones cognoscimus ex schol. ad Olynth. I. 10. *νομοθέτης ἐλέγετο παρ᾽ αὐτοῖς καὶ ὁ νόμον καινὸν εἰσφέρων καὶ πάλιν ὁ κρίνων τοὺς νόμους μήπως ἐναντίοι τινὲς ἀλλήλοις ἔλαθον ὄντες*, et Photio. s. v. *νομοθέται καὶ οἱ εἰσηγούμενοι καὶ ἐκκλησία τις Ἀθήνησιν οὕτως ἐκαλεῖτο ἢ τοὺς εἰσφερομένους ἐδοκίμαζον νόμους.* Nos nunc cum de nomothetis loquemur, eos intellegimmus apud quos iudicium de rogationibus fiebat.

De numero nomothetarum inter se dissentiunt viri docti, cum alii opinentur numerum eorum certum alii eum indefinitum fuisse. Testimonia ex quibus de hac re certiores reddimur sunt haec: A. Pollux VIII. 101. *περὶ νομοθετῶν· νομοθέται μὲν ἦσαν χίλιοι.* B. Tim. [27] *τοὺς δὲ νομοθέτας εἶναι ἕνα καὶ χιλίους ἐκ τῶν ὀμωμοκότων.* C. Andoc. de myst. 84. *τοὺς νόμους δοκιμασάτω ἡ βουλὴ καὶ οἱ νομοθέται οἱ πεντακόσιοι.* Videmus igitur haec testimonia inter se pugnare, qua re firmari videtur posterior sententia, quam tamen sententiam prorsus reiciendam esse inveniemus, si locos modo citatos accuratius perquirimus. Dicit enim Schoemannus, qui maxime sententiam posteriorem defendit, verisimillimum esse pro legum abrogandarum numero causarumque diversitate plures paucioresve nomothetas creatos esse. At qui hoc convenit cum diversitate illa numerorum? Utra enim causa gravior erat, Timocratea, in qua de una tantum lege agebatur, an Tisamenea, ut ita dicam, in qua de omnibus legibus mutandis res erat? Nonne verisimilius fuisset in priori causa quingentos, in posteriori

vero mille nomothetas creari? Quod mihi quidem videtur ob eamque unam causam non dubito sententiam Schoemanni non accipere. At mihi quis respondeat, quanam tu ratione discrepantiam locorum tua sententia interpretaturus est? Discrepantiam illam haud ignoro, sed valde laudo Blassium, qui eam lenissima eademque sagacissima coniectura sustulit. Scribendum enim censet esse vir doctissimus loco Andocideo, ut iam supra dixi, ἡ βουλὴ οἱ πεντακόσιοι καὶ οἱ νομοθέται. Quae coniectura mihi valde placet, cum primum ea discrepantia modo significata tollatur, deinde bona efficiatur oppositio, quae desideratur, cum senatu Areopagitico, cuius sub finem eiusdem paragraphi apud Andocidem fit mentio. Dici ἡ βουλὴ οἱ πεντακόσιοι pro vulgato ἡ βουλὴ τῶν πεντακοσίων non est quod mireris, cum exstent nonnulla exempla huius usus, ut schol. Aeschin. Ktesiph. pg. 247 (Bekker) τὴν βουλὴν τοὺς πεντακοσίους πρὸς διαστολὴν τῆς Ἀρειοπαγιτικῆς βουλῆς. cfr. [Dem.] 25. 27. Atque quomodo loco C. oriri potuerit vitium facile intellegitur: apposita erant verba οἱ πεντακόσιοι a scriba in margine libri, postea autem loco non suo in textum irrepsere. Praeterea multo maiorem vim habet oratio, si vocabula illa cum βουλὴ coniungimus cum tum primum triginta tyrannis expulsis senatus quingentorum denuo institutus sit. At, dicat quispiam cum Schoemanno, haec liceat ita sint, semper ex eo quod loco B disertis verbis rogatur ut mille et unus nomothetae creentur consequi videbitur illum numerum non fuisse certum neque solemnem, cum alioquin non opus fuisset ut commemoraretur. Hoc concedo, tamen eo sententia mea mutari non potest, cum Westermannus l. c. pg. 24. evicerit illud documentum a falsario compositum esse, ut non multum ei tribuendum sit. Praeterea iam cap. II. vidimus in illo psephismate etiam alia rogari quae per se intelleguntur, verbis συννομοθετεῖν δὲ καὶ τὴν βουλήν. Ut autem concedamus viris illis doctis — quod numquam facturi sumus — Blassii coniecturam falsam esse, quomodo ipsi interpretaturi sunt Pollucis verba, qui nihil dicit de numero indefinito? Schoemannus quidem dicit Pollucem numerum ex loco B sumpsisse, sed ego cum Westermanno facio, qui pg. 29. censet Pollucem numerum aliunde hausisse, cum vix credibile videatur eam in eum errorem incidisse, ut ab una causa, de qua agitur in psephismate illo, numerum ad omnes referret. Sed satis esse demonstratum arbitror nomothetarum numerum lege praescriptum fuisse; quotannis milleni creabantur nomothetae, unus autem addebatur, ut numerus impar esset.

§. 2. Ex quo ordine nomothetae creandi fuerint. Nomothetas ex heliastis creandos fuisse videmus ex Lept. 93: καλῶς κελεύει τιθέναι πρῶτον μὲν παρ' ὑμῖν τοῖς ὀμωμοκόσιν, ubi nemo dubitabit quin subaudiendum sit τὸν ἡλιαστικὸν ὅρκον. Dubitant vero viri docti qui sint intellegendi heliastae, atque Boeckhius statsh. pg. 257 nomo-

thetas ex anni praecedentis, Westermannus autem ex eiusdem anni heliastis electos fuisse putat. Mihi quidem multo probabilior videtur Westermanni sententia, cui consentio si dicit longum fuisse si denuo iusiurandum ab heliastis exigendum fuisset, quod ex Boeckhii sententia fieri debebat. Pro certo sane affirmari non potest.

§. 3. Quo modo nomothetae creandi fuerint. Nitentes in analogia reliquorum iudiciorum omnes viri docti qui de hac re disseruerunt nomothetas sorte creatos esse arbitrantur, etiamsi inter se dissentiunt ad quos magistratus sortiendi munus pertinuerit. Schoemannus enim, qui non offendit in Tim. 27. (τοὺς πρυτάνεις καθίσαι νομοθέτας) prytanes, Westermannus autem, quippe qui a falsario legem illam compositam esse censeat, thesmothetas illi muneri praefuisse censet. Mihi vero neutra placet sententia, cum, ut mihi quidem videtur, de sortitione omnino cogitari non possit: equidem enim censuerim nomothetas in ecclesia ab ipso populo manuum suffragiis creatos esse. Quam sententiam, etiamsi primo adspectu prorsus reicienda videri potest, tamen me probaturum esse confido. Primum enim in ipsa re causa posita est, de qua prima agamus. Supra vidimus cuivis civi, qui quidem non infamis sit, licuisse novam legem rogare ut heliastis quoque licuisse sequatur. Jam si sorte ducendi fuissent nomothetae ex heliastis, facillime evenire poterat ut, qui heliasta legem exposuerat, ipse de ea iudex fieret, qua re magnum detrimentum rem publicam accipere potuisse non est quod amplius dicam. Repugnaret hoc rationi illi generali, ex qua idem non potest esse reus atque iudex, quam rationem etiam apud Athenienses valuisse demonstrant Meier et Schoemann att. process II. 133: da es nun sehr haeufig der fall sein musste, dass in den richterabteilungen, denen das loos die entscheidung über processe zugewiesen hatte, mehr oder weniger leute waren, welche die erforderlichen eigenschaften nicht besassen, so ergiebt sich von selbst, dass man diese aussondern musste. At, mihi responderi possit, liceat, qui exposuerant, ei segregarentur, reliqui vero sorte ducebantur. Sed hoc factum esse nego, cum ex Andoc. de myst. 82. eluceat omnes nomothetas manuum suffragio creari potuisse, atque, ut saepius dixi, cum non videam cur tum Athenienses a via usitata recesserint, non est causa cur non putemus, quod semel factum esse apparet, id semper factum esse. Tum vero nomothetas manibus creatos esse evincunt verba: ἐπειδὴ δὲ βουλὴν ἀπεκληρώσατε νομοθέτας δὲ εἵλεσθε, itemque §. 84. νομοθέται οὓς οἱ δημόται εἵλοντο. Priore enim loco oppositio verborum ἀποκληροῦν et αἱρεῖσθαι docet posterius verbum hoc loco non posse habere significationem sorte ducendi, quam aliis locis habere concedendum est, sed idem esse quod χειροτονεῖν; posteriore autem loco disertis verbis dicitur nomothetas ab ipso populo creatos esse — qua re Westermanni et Schoe-

manni sententiae cadunt. Praeterea etiam ex Tim. 25. consequitur nomothetas manibus creatos esse, ex verbis: ἀλλὰ σκέψασθε καθ' ὅτι τοὺς νομοθέτας καθιεῖτε. Quonam modo Westermannus Schoemannusque vocabulum καθιεῖτε interpretaturi sunt? Ad iudices enim loquitur Demosthenes, apud quos lex Timocratea accusabatur, iam qui iudicibus id tribui potest, quod prytanum aut thesmothetarum est? Sin vero meam sententiam sequeris, omnia bene quadrant, cum hoc quoque loco orator iudicibus id tribuerit quod totius populi est.

Solus locus qui contra sententiam meam proferri videtur posse est Tim. 28: αὐτὸς ἔγραψεν αὔριον νομοθετεῖν, quod idem videtur esse ac καθίσαι νομοθέτας αὔριον §. [27.]; hoc vero a prytanibus, vel a thesmothetis faciendum fuisset cum populus propter diem festum — postridie, i. e. die duodecimo mensis hecatombaeonis agebantur τὰ Κρόνια — convocari non posset. Tamen videtur tantum idem esse, nam ut mea fert opinio non significant verba §. 28. nomothetas creandos fuisse die duodecimo, sed illo die iudicium de Timocratis lege instituendum fuisse. Quae interpretatio, neglecto eo, quod non inveni locum ubi νομοθετεῖν notionem creandi nomothetas habet, eo probabilior est, quod non verisimile est propter unam illam legem die festo omnes heliastas convenisse ex quibus a prytanibus vel a thesmothetis nomothetae sorte ducerentur. Itemque verba καθιζομένων τῶν νομοθετῶν §. 29. sic verterim: iudicibus — qui iam die antecedente creati erant — sedentibus ut initium muneris faciant. Jam cum videamus nomothetas die contionis creatos esse quidni putamus eos ab ipsa contione creatos esse, quod per se verisimillimum esse iis locis quos supra attuli probasse me arbitror? Reliquum est ut breviter exponam, quonam modo nomothetas a populo creatos esse mihi finxerim, quod sic factum esse censeo. In quarta mensis hecatombaeonis contione — nam in ea de nomothetis creandis agendum fuisse demonstrare studebo paragrapho proxima — a prytanibus omnes nominabantur heliastae exceptis iis qui legem exposuerant, atque ex eo numero populus eos elegit, quos optime nomothetarum officio functuros esse censeret. Qua re plus temporis consumptum esse quam si nomothetae a prytanibus aut a thesmothetis sorte ducerentur, non nego, tamen haec causa esse non potest, cur sententia mea reiciatur.

§. 4. Quo tempore nomothetae creandi fuerint. Qui viri docti nomothetas a thesmothetis sorte ductos esse arbitrantur, eos sortitionem illam non in ecclesia factam esse censere necesse est, ut non amplius de hac sententia agendum sit. Nobis de sola Schoemanni opinione disserendum est, ex qua sortitio illa fiebat in tertia primae prytaniae contione, quae sententia Dindorfio quoque placuit, qui Dem. VI. 974. dicit: non apparet cur nomothetae in tertia demum contione, patroni vero in prima creati

sint. Solus locus qua firmari videtur posse haec sententia est Tim. 25: μετὰ ταῦτα δ' ἂν χειροτονήσητε εἰσφέρειν, οὐκ εὐθὺς τιθέναι προσέταξαν ἀλλὰ τὴν τρίτην ἀπέδειξαν ἐκκλησίαν (quibus sub verbis tertiam, non quartam primae prytaniae contionem intellegendam esse bene demonstravit Westermannus l. c. pg. 20.) καὶ οὐδ' ἐν ταύτῃ τιθέναι δεδώκασιν, ἀλλὰ σκέψασθαι καθ' ὅτι τοὺς νομοθέτας καθιεῖτε. Jam ex verbis ἀλλὰ—καθιεῖτε illi viri docti colligi posse censuerunt, nomothetas in tertia contione creandos fuisse, sed de hac re nihil invenias hoc loco. Recte enim de verbis modo adlatis Westermannus pg. 20. iudicat, ubi dicitur: mit dieser (der dritten) versammlung kam also die sache noch gar nicht zum abschluss, sie war nur zu den verhandlungen über die einsetzung der nomotheten bestimmt. De condicionibus igitur, quibus nomothetarum iudicium constituendum esset, non de ipsis iudicibus creandis in contione illa agendum erat. Qui enim, si Schoemanni sententia vera esset, orator dicere potuisset σκέψασθαι καθ' ὅτι καθιεῖτε? Nonne tum dicendum fuisset καθίζειν τοὺς νομοθέτας? §. 21. vero, qua fortasse sententia illa firmari videtur posse, nihil probatur, cum ut iam saepius monitum est lex illa a falsario composita sit. Quae cum ita sint equidem contenderim nomothetas in quarta primae prytaniae contione creatos esse, his de causis. Paragrapho antecedente demonstrasse mihi videor nomothetarum creationem in contione factam esse, ut, cum neque prima neque altera, ut ex permultis elucet locis, neque tertia, ut modo probavi, contiones huic rei constitutae fuerint, constet autem in prima prytania epicheirotoniam, quae quidem publica erat, ad finem perductam esse, sola restaret quarta mensis hecatombaeonis contio. Sed haec minora, multo maiori argumento esse debent, quae leguntur Lept. 94: ἐπέταξε καὶ τῷ γραμματεῖ παραδοῦναι (sc. post primam contionem), τοῦτον δ' ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἀναγιγνώσκειν, ἵν' ἕκαστος ὑμῶν ἀκούσας πολλάκις καὶ κατὰ σχολὴν σκεψάμενος ἂν ᾖ δίκαια καὶ συμφέροντα ταῦτα νομοθετῇ. Jam quaerendum nobis est, quot contiones intellegendae sint sub verbis ἐν ταῖς ἐκκλησίαις et πολλάκις. Schoemannus de duabus cogitat, tamen nullo loco scriptores Graecos, ubi de duabus tantum rebus agunt, vocabulo πολλάκις usos esse contendo. Praeterea, si in duabus tantum contionibus leges a scriba recitandas fuisse Demosthenes dicere voluisset, profecto numerum addidisset. Hyperbole autem quae dicitur hoc loco esse non potest, ut videmus ex antecedentibus iisque quae sequuntur, ubi orator rem ut erat exponit, minime eam in maius extollens. Quae cum ita sint, quoniam videmus Schoemanni sententiam retineri non posse, plures quam duae contiones sub verbis illis intellegendae sunt, atque opinor ter rogationes in contionibus recitandas fuisse, in altera, tertia itemque in quarta primae prytaniae contionibus. Atque vocabulum πολλάκις oratores adhibere ubi de tribus rebus loquun

tur, facile invenias exempla — ut apud nostrum XVIII. 120. πολλάκις ἐστεφανῶσθαι πρότερον, ubi cum Dindorfio Dem. VI. 358 de tribus coronationibus cogito —, saepius autem quam ter leges recitari non poterant, quia, ut supra dictum est, sola prima prytania epicheirotoniae publicae statuta erat. Quodsi videmus rogationes ter publice recitatas esse, verisimillimum autem est id factum esse dum nomothetae crearentur, sequitur, cum post primam contionem leges scribae traderentur, nomothetas in quarta contione creatos esse. Quartam vero contionem huic uni rei praeter recensionem legum constitutam fuisse eam ob rem probabile est, quod §. 3. demonstravi permultum temporis ad creationem opus fuisse, neque aliae sunt res de quibus in eadem contione actum esse statuamus, cum nomothetis creatis epicheirotonia publica ad finem perducta fuerit.

§. 5. De καθ' ὅτι or. Tim. §. 25. Dicitur or. Tim. 25. in tertia contione videndum fuisse καθ' ὅτι nomothetae crearentur, ut nobis quaerendum sit, quidnam sit illud καθ' ὅτι. Qua in re valde adiuvamur or. Tim. [21.] χρηματίζειν περὶ τοῦ ἀργυρίου ὁπόθεν τοῖς νομοθέταις ἔσται, itemque §. [23.]: ὅπως ἂν πρὸς τὸ πλῆθος τῶν τεθέντων νόμων ψηφίσηται ὁ δῆμος περὶ τοῦ χρόνου τοῖς νομοθέταις. Quamvis enim haec verba pro testimonio adhiberi non possint, tamen in interpretatione non contemnenda sunt, cum iis in viam deducamur. Quaerendum igitur primum erat in contione tertia unde sumenda sit nomothetarum merces — quanta enim iis solvenda esset, sine dubio constabat, atque recte mihi Boeckhius coniecisse videtur idem stipendium eos accepisse quod heliastas, cum idem fere iis faciendum esset quod his. Jam Westermannus pg. 22, si nomothetarum, ait, idem stipendium erat ac heliastarum, quaestio ὁπόθεν ἔσται supervacanea erat. Quam diu enim iudices illos ut nomothetas sedisse, tam diu eos liberatos fuisse ab heliastarum munere, ut non plus pecuniae sumendum esset, sed merces nomothetarum substitueretur pro heliastarum interea intercidente. Nihil igitur magis consentaneum esse quam ex quo capite solvebatur heliastarum stipendium, ex eo nomothetarum quoque profectum esse. Quam sententiam non plane probaverim. Etiamsi enim concedendum est nomothetas dum de legibus iudicabant heliastarum munere vacasse, tamen sumptus maior mihi videtur faciendus fuisse. Quam diu enim nomothetae de legibus ferendis abrogandisque iudicium faciebant, tam diu reliqui heliastae pluribus negotiis implicati erant, ut hac quoque re maiora impendia fierent. Praeterea et ipsi nomothetae diem ex die sedebant, ut certo multo plus stipendii iis persolvendum esset cuius summam verisimile est maiorem fuisse quam cui pecunia heliastis constituta sufficeret. Quibus de causis quaestio ὁπόθεν ἔσται mihi

quidem non videtur supervacanea esse, respondere autem ad eam nequeo, cum nullo alio loco de hac re certiores reddamur.

Quod vero attinet ad alteram illam quaestionem de tempore nomothetis concedendo, prorsus consentio cum Westermanno, qui pg. 22 haec dicit: von rechtswegen sollte dieser behörde (die das geschäft vorzubereiten hatte und nach geschehener vorbereitung den gegenstand vor die nomotheten brachte) der termin gesetzt sein. wenn gleichwol derselbe den nomotheten gesetzt wird, so ist dies, wenn anders richtig, wol kaum anders zu erklären als so, dass dabei mehr das ganze der nomothesie selbst, die erst mit dem spruche der nomotheten als abgeschlossen betrachtet werden kann, als das einzelne der procedur ins auge gefasst, die benennung a potiori gegeben ist.

Caput IV. De novis legibus.

§. I. Non ferendae erant leges in unius hominis gratiam. Non licuisse rogare leges in unius hominis aut gratiam aut damnum permultis probatur testimoniis, quorum nonnulla adhibere non supervacaneum mihi videtur esse. Tim. 18. 88. 116. ἐπὶ πᾶσιν τὸν αὐτὸν νόμον τιθέναι κελεύει. Tim. 52, οὐκ ἐᾶ νόμον ἀλλ' ἢ τὸν αὐτὸν τιθέναι κατὰ τῶν πολιτῶν ἁπάντων. c. Aristocr. 86: μηδὲ νόμον ἐπ' ἀνδρὶ ἐξεῖναι θεῖναι, ἐὰν μὴ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσιν Ἀθηναίοις. (lex). Repugnare videtur omnibus his locis sola or. Tim. §. 59. quam sic nobis tradunt nonnulli libri deterioris notae: μηδὲ νόμον ἐξεῖναι ἐπ' ἀνδρὶ θεῖναι ἐὰν μὴ τὸν αὐτὸν ἐπὶ πᾶσιν Ἀθηναίοις, ψηφισαμένων μὴ ἔλαττον ἑξακισχιλίων οἷς ἂν δόξῃ κρύβδην ψηφιζομένοις. Hanc scripturam corruptam esse facillime intellegitur, cum plane inania sint verba ψηφισαμένων—ψηφιζομένοις, quam ob rem Petitus ante ψηφισαμένων ἐὰν μὴ inserendum esse censet, Reiskius autem ἢ proponit, quibus coniecturis idem fere sensus efficitur. Quodsi Petitum sequimur locus noster legem iisdem verbis praebere videtur quibus Andoc. de myst. 89, ut sequi videatur tamen licuisse, si quidem sex milia civium permittebant, in unius hominis gratiam legem rogare. Attamen hi duo loci seiungendi sunt, cum nostro loco agatur de lege quam recte Aeneas Gazaeus in Theophrasto pg. 24. (ed. Boiss.) ab ipso Solone profectam esse dicit, Andocides autem loquatur de lege triginta tyrannis expulsis lata, quae quidem lex non ita multo post abrogata est. Differunt autem hae duae leges clausula, quae Solonis lege abesse debet. Nostro enim loco verba ψηφισαμένων—ψη-

φιζομένοις non recitatas esse ex eo cognoscitur, quod non habetur ratio eorum in iis, quae laudandae legis causa non ita multo post dicuntur, neque verisimile est Demosthenem argumentum firmissimum neglexisse, quo luculentissime demonstrare poterat Timocratem legem de epicheirotonia violasse. Atque Demosthenis temporibus Solonis legem valuisse, id est clausulam illam in lege non fuisse, maxime sequitur ex or. c. Aristocratem §. 87: etenimsi illa clausula tum valuisset, Demosthenes hanc legem pro exemplo adhibere non potuisset, quo demonstraret Aristocratis rogationem contra leges pugnare. Apud Andocidem vero optime quadrant verba ἐὰν μὴ ψηφισαμένων κτλ. Jllis enim temporibus Athenienses quam plurimos exsules venia et incolumitate donari voluerunt, quam ob rem permiserunt ut in unius hominis gratiam legem vel psephisma rogare liceret, ne autem nimis saepe tales leges ferrentur clausulam addiderunt: liceat, si quidem sex milia civium in legem ferendam consenserint. Sed ubi primum res publica sedata erat populus ad veterem consuetudinem rediit, atque hoc modo factum esse censeo ut clausula Demosthenis temporibus abrogata esset. Duae igitur secernendae sunt leges, quarum prior ab ipso Solone profecta est, posteriorem autem Euclide archonte demum latam esse ex Andocidis verbis optime cognoscitur. Haec vero Schellingius non vidit, qui l. c. pg. 54. contra optimorum codicum auctoritatem verba ψηφισαμένων—ψηφιζομένοις or. Tim. 50 servanda esse censet. Sin vero hoc loco verba illa removemus, tum hic quoque cum reliquis locis supra adlatis congruit, remanetque lex ex qua non licebat in unius hominis gratiam aut damnum legem rogare.

§. 2. Lex nova non repugnare debebat veteri. Verba legis ex qua lex nova non repugnare debebat veteri ea mihi videntur esse quae exstant or. Tim. 33: ἐναντίον δὲ νόμον μὴ ἐξεῖναι τιθέναι τῶν νόμων τῶν κειμένων μηδενί, ad quae ex Tim. 34. addenda sunt ἐὰν μὴ λύσῃ τὸν πρότερον κείμενον. Verba ἐὰν—κείμενον sic interpretanda sunt, ut, qui novam legem cum vetere pugnantem rogaverat, is veterem accusare atque impetrare deberet ut nomothetae eam abrogarent, atque tum demum ei licuit rogare ut ipsius ferretur. Causas quibus commotus Solo—nam ab eo hanc quoque legem profectam esse probabile est — legem de qua agimus tulerat, Demosthenes exponit Tim. 35. εἰ γὰρ εἴησαν δύο τινὲς ἐναντίοι νόμοι, καί τινες ἀντίδικοι παρ' ὑμῖν δικάζοιντο ἢ περὶ δημοσίων ἢ περὶ ἰδίων πραγμάτων, ἀξιοῖ δ' ἑκάτερος νικᾶν, μὴ τὸν αὐτὸν δεικνύων νόμον, οὔτ' ἀμφοτέροις ἔνι δήπου ψηφίσασθαι. πῶς γάρ; οὔτε θατέρῳ ψηφιζομένοις εὐορκεῖν. παρὰ γὰρ τὸν ἐναντίον ὄντα δ' ὁμοίως κύριον ἡ γνῶσις συμβαίνει. cfr. Lept. 93. Haec lex ei qui accusare vellet novam legem, summam accusandi causam praebebat, cum, qui ferret, legem obsoletam aliquam, cui repugnaret sua, inscientia facillime neglegere

posset, ut videmus omnes fere Demosthenis orationes, quae de γραφῇ παρανόμων scriptae sunt, hanc maxime legem urgere.

§. 3. Lex nova utilis debebat esse. Legem novam rei publicae utilem esse debuisse cum per se intellegitur, tum disertis verbis dicitur or. Tim. 33: ἐὰν δέ τις νόμον ἀντιθῇ μὴ ἐπιτήδειον τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων τὰς γραφὰς εἶναι κατ' αὐτοῦ κατὰ τὸν νόμον ὃς κεῖται ἐάν τις μὴ ἐπιτήδειον θῇ νόμον. Quid autem intellegendum sit sub verbo ἐπιτήδειος ex. Tim. 68. cognoscimus. Primum enim lex nova simplex esse debebat dilucideque composita, ut omnes quid ea imperaretur cognoscere possent, deinde, quae ea imperabantur, ea facilia esse debebant, quae si non essent, magis preces illam rogationem quam legem esse orator dicit; denique nemini qui iniustus esset commoda concedi debebant.

§. 4. Non ad tempora praeterita spectare debebat nova lex. Accuratius de hac re Demosthenes disserit or. Tim. 72 sq., ubi legem a Timocrate rogatam de tempore praeterito agere probat, eamque ob hanc unam causam reiciendam esse dicit. Denuo deinde eandem rem tractat §. 194, ubi haec sunt verba: οὐκ ἔστι δίκαιον τὸν τιθέντα νόμον ταὐτὰ προστάξαι περὶ τῶν παρεληλυθότων καὶ πρότερον τέλος ἐσχηκότων ποιεῖν καὶ περὶ τῶν μελλόντων γενήσεσθαι. πάντων γὰρ ὄντων αἰσχρῶν καὶ δεινῶν τῶν γεγραμμένων ἐν τῷ νόμῳ (sc. Timocratis), τοῦτο δεινότατον καὶ μάλιστα παράνομον γέγραπται. Quae fuerint verba legis qua vetitum erat de rebus praeteritis legem ferri non iam cognoscere possimus, legem vero fuisse vocabulum παράνομον probat. Quodsi constat legem novam non ad tempora praeterita spectare debuisse, per se efficitur neque de damnatis neque de reis agere licuisse, quod firmatur or Tim. 145. Apud Romanos longe alium fuisse usum exemplum est lex Clodia »siquis civem Romanum indemnatum interemisset, ei aqua et igni interdiceretur,« qua lege effectum est ut Cicero, qui quinque annis ante Catilinae socios indemnatos interfecerat, exsul e patria expelleretur.

Caput V. Actio apud nomothetas.

§. I. De nomothetarum iudicii praesidibus. Schoemannus proedros nomothetarum iudicio praefuisse censet, pro testimonio utens Tim. 33. διαχειροτονίαν δὲ ποιεῖν τοὺς προέδρους περὶ τούτων τῶν νόμων, ex quo sequeretur iudicium illud in contione faciendum fuisse, cum non esset munus proedrorum nisi in ecclesia. Cui sententiae obstare dicit Westermannus praeter alia etiam or. Tim. 47. ἐν παραβύστῳ . . . λάθρα

εἰσήνεγκεν, quibus ex verbis colligi posse nomothetas sedisse in foro. Quod mihi quidem ex verbis modo adlatis non videtur sequi, cum cum Ulpiano ἐν παραβύστῳ interpretatus sim vocabulo λάθρα, quod non ita multo post ad augendum sermonem ipse orator adhibet. Non enim in παραβύστῳ nomothetas sedere potuisse ex eo sequitur, quod forum illud, in quo undecim viri iudicia facere solebant, profecto nimis parvum erat quam quo mille homines continerentur. Etiamsi igitur hanc causam nihili faciendam esse censeo, tamen cum Westermanno consentio, qui thesmothetas actioni de legibus ferendis abrogandisque praefuisse contendit. Primum enim per se verisimile est nomothetas non in contione iudicium fecisse, cum non ita multum differat nomothetarum iudicium ab heliastarum, deinde autem probari potest ex oratione Leptinea thesmothetas actionem de legibus moderatos esse, si quidem demonstrari potest orationem illam apud nomothetas habitam esse, de qua re nunc nobis paucis disserendum est.

F. A. Wolf or. Lept. CXL de hac re sic statuit: orationem Leptineam neque apud universam ecclesiam neque senatum neque thesmothetas neque etiam nomothetas habitam esse, sed apud selectos ex iudicio ordinario, heliaea, iudices, atque maxime in duobus locis nititur: Lept. 100. ἐγγυώμεθ' ἡμεῖς θήσειν τὸν νόμον· ἔστι δὲ δήπου νόμος ὑμῖν, ἐάν τις ὑποσχόμενός τι τὸν δῆμον ἢ βουλὴν ἢ δικαστήριον ἐξαπατήσῃ, τὰ ἔσχατα πάσχειν. ἐγγυώμεθ' ὑπισχνούμεθα. οἱ θεσμοθέται ταῦτα γραφόντων, ἐπὶ τούτοις τὸ πρᾶγμα γιγνέσθω. itemque in §. 137: κελεύετε τούτους γράφεσθαι κατὰ τὸν νόμον ὃν παρεισφέρομεν νῦν ἡμεῖς, ἢ θέντων ἡμῶν, ὥσπερ ἐγγυώμεθα καὶ φαμὲν θήσειν, ἢ θέντας αὐτοὺς ὅταν πρῶτον γένωνται νομοθέται. Jam de his locis sic disserit Wolfius, Demosthenem non potuisse sic loqui nisi alia actione post hac opus fuisset, ut lex sua acciperet auctoritatem; non enim futuri temporis θήσειν fuisse usum. Qua de causa reiectae alterius legis iudicium nihil fuisse nisi praeiudicium novae, apud nomothetas insequentis demum anni probandae. Tamen his locis omnino nihil probari demostravit Westermannus pg. 51. sq.[1])

---

[1]) Adn.: Ubi de Westermanni sententia loquimur, priorem intellegimus, quam exposuit l. c. Postea enim Dem. pg. 176 se Schoemanni causis commotum esse dicit vir doctus, ut Wolfii sententiam acciperet. Tamen ut mihi videtur hoc iniuria fecit, cum causae illae Schoemanni, quas profert opusc I. 237, non tam magnae mihi videantur esse. Summum enim eius argumentum eo refelli censeo, quod mox dicturi sumus de Lept. 99, rectissime autem Westermannus ursit vocabula ἡμᾶς Lept. 89. atque πάντα 94, quorum explicationem Schoemannus longius repetit. Praeterea autem virum doctissimum errare censuerim si dicit in causa Leptinea non agi de vetere lege abroganda. Mortui enim erant qui anno praecedente Leptinis legem accusaverant, ut, cum γραφὴ παρανόμων non ad finem perducta esset, per illum annum Leptinis lex rata esset. Quibus de causis mihi quidem prior Westermanni sententia praeferenda videtur esse.

Futurum θήσειν enim vir doctissimus non ad res spectare vidit quae multo post futurae erant, sed dictum esse de rebus quae iam eodem die fieri debebant. Nam post Demosthenem Leptines syndicique leges eius dicturi erant, atque tum demum suffragia nomothetarum ferebantur, ut de hac re bene tempus futurum adhiberi posset. Quod vero ad alterum locum attinet, sagacissime Westermannus cognovit ὅταν πρῶτον νομοθέται γένωνται non referendum esse ad φαμὲν θήσειν, sed ad solum ἢ θέντας αὐτούς. Sic enim locus ille vertendus est: si, quod polliciti sumus, non faciemus, Leptines ipse nostram legem rogato, hoc vero apud proximi tantum anni nomothetas fieri potest, cum tum lex nostra sit nova plane rogatio. Repugnant praeterea valde Wolfii sententiae, quae Schoemanno quoque placuit, verba Tim. §. 33: τῶν δὲ νόμων τῶν κειμένων μὴ ἐξεῖναι λῦσαι μηδένα ἐὰν μὴ ἐν νομοθέταις, quae verba etiam Westermannus pro genuinis habet. Exstant praeterea etiam alia testimonia quibus probatur orationem Leptineam apud nomothetas habitam esse, ut Lept. 137: κατὰ τὸν νόμον ὃν παρεισφέρομεν ν ῦ ν ἡμεῖς, (cfr. Westerm. 51) maxime autem §. 99, etiamsi hic locus, ut nobis traditus est in codicibus, corruptus est, ut breviter de eo exponendum sit. Verba sunt hac: ἐγὼ δ', ὅτι μὲν τῇ ὑμετέρᾳ ψήφῳ τούτου τοῦ νόμου λυθέντος τὸν παρεισενεχθέντα κύριον εἶναι σαφῶς ὁ παλαιὸς κελεύει νόμος, καθ' ὃν οἱ θεσμοθέται τοῦτον ὑμῖν παρέγραψαν, ἐάσω, ἵνα μὴ περὶ τούτου τις ἀντιλέγῃ μοι, ἀλλ' ἐπ' ἐκεῖνο εἶμι. Jam verba ἵνα—μοι pugnare cum σαφῶς κελεύει iam Reiskius vidit, qui quaerit: qui potuerat Leptines contendere, si lex claris verbis pronuntians controversiam omnem amputaret? Wolfio vero verba talia videntur esse, quae vix hodie plene intellegantur, eamque ob rem vir doctus hunc locum non posse esse testimonium contra ipsius sententiam dicit. Westermannus denique locum eo sibi videtur explicuisse, quod dicit tum in nomothesia ex arbitrio civium multa facta esse atque Demosthenem se ad illum abusum accomodare, ne ius in contraversiam deducat, timentem adversariorum auctoritatem. Sed haec mihi explicatio speciosior quam verior videtur esse, equidem enim censuerim locum facilius sanari posse, si verba transponimus, ut legendum sit, mutato τις in τι: ἐάσω, ἀλλ' ἐπ' ἐκεῖνο εἶμι, ἵνα μὴ περὶ τούτου τι ἀντιλέγῃ μοι. Qua transpositione, quod maximum est, discrepantia illa tollitur, quadrant vero omnia bene. Dicit enim orator se de prisca illa lege non iam dicturum esse, responsurum autem esse illis Leptinis verbis §. 98. ἐξαπάτης ἕνεκα κτλ, atque de his sic se disserturum esse ut non habeat Leptines quae respondeat. Solum quod restat incommodum est, quod nescimus quibus causis commotus Demosthenes priscam illam legem praetermiserit, tamen haec leviora sunt quam quae magni faciamus. Quodsi hanc accipis coniecturam luculenter ex hoc loco apparet apud nomothetas orationem Leptineam habitam esse, cum

apud eos solos leges novae ferri possint. Sin vero hoc verum est, thesmothetas nomothetarum iudicio praefuisse apertum manifestumque faciunt §. §. 98—100, verba dico: ἃ δὲ πρὸς τοὺς θεσμοθέτας ἔλεγεν, καθ' ὃν οἱ θεσμοθέται τοῦτον ὑμῖν παρέγραψαν, οἱ θεσμοθέται ταῦτα γραφόντων, quibus ex verbis sequitur thesmothetas illi iudicio interfuisse. Num autem alio munere in hac re perfungi poterant thesmothetae praeterquam praesidum? Firmatur praeterea haec sententia etiam scholio ad Aristoph. vesp. 772: εἶχον δὲ καὶ ἑκάστη φυλὴ ἕνα θεσμοθέτην εἰς τὸ τοὺς νόμους εἰσηγεῖσθαι. Qui enim res iudicibus proponebat, eum iudicio praefuisse demonstrant Meier et Schoem. att. proc. I. 30.

§. 2. **Judicium apud nomothetas.** Pervenimus nunc ad ipsam apud nomothetas actionem quae sic fiebat. Judicio instituto novae leges in tabulas conscriptae itemque veteres a decem ministris thesmothetis tradebantur, qui de iis ad iudices referrent, atque ab accusatore praesidibus dabatur libellus accusatorius, ut videmus ex Lept. 89. γράφεσθαι μέν, ἄν τίς τινα τῶν ὑπαρχόντων νόμων μὴ καλῶς ἡγῆται ἔχειν κτλ Tum a thesmothetis dicendi facultas fiebat primum accusantibus, qui et veteres accusabant et suas ipsorum laudabant leges, deinde syndicis, qui, quantopere possent, elaborare debebant ut crimen diluerent. Syndicos autem post accusantes locutos esse plurimis orationis Leptineae locis probatur, ut §. 120 οἶμαι τοίνυν καὶ τοῦτον τὸν λόγον ἐρεῖν (sc. Leptinem) §. 151 οὗτος ἴσως ἐρεῖ saepiusque. Denique quivis civis, qui iniusta in novis legibus invenisse sibi videbatur, ea proferre syndicosque omni ratione adiuvare poterat. Jam quibus de causis Platnerus att. proc. II. 33. statuerit, cives, quae contra rogationes haberent, ea in tertia contione apud populum exponere debuisse, me non intellegere profiteor. Populo enim de novis legibus nihil faciendum erat, praeterea autem obnuntiationes illae inutiles fuissent, cum, quae in prima contione decreta erant, ea in tertia aboleri non possent: proficere tantum cives poterant, si apud nomothetas demonstrarent, quae detrimenta novae leges adlaturae essent. Auditis vero defendentium accusantiumque orationibus — bis utrosque locutos esse, ut in reliquis iudiciis, non nobis traditur — iudices in suffragia ibant. Quae suffragia quomodo lata sint ex Tim. [33]. cognoscere videmur posse, ubi verba sunt haec: διαχειροτονίαν δὲ ποιεῖν τοὺς προέδρους περὶ τούτων τῶν νόμων, πρῶτον μὲν περὶ τοῦ κειμένου, εἰ δοκεῖ ἐπιτήδειος εἶναι τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων ἢ οὔ, ἔπειτα δὲ περὶ τοῦ τιθεμένου. ὁπότερον δ' ἂν χειροτονήσωσιν οἱ νομοθέται, τοῦτον κύριον εἶναι. Tamen haec falsa esse, etiamsi Wolfio l. c. LXXXV placuerunt, facile demonstrari potest. Etenimsi primum de vetere, deinde autem de nova lege sententiae ferendae fuissent, evenire poterat, ut neutra iudicibus placeret. (cfr. Westerm. 52). Quid vero tum faciendum fuerit,

frustra ex loco modo citato quaeritur, ut nihil nobis relictum sit quam ut censeamus, dum tertia lex inferretur, omnino non legem de re fuisse. Quid tamen est quod minus verisimile esse possit? Rem autem plane aliam fuisse docent verba de quibus §. 1. accuratius disseruimus, Lept. 99, τούτου τοῦ νόμου λυθέντος τὸν παρεισενεχθέντα κύριον εἶναι itemque Tim. 38. οὐ δοὺς αἵρεσιν, ex quibus consequitur una de ambabus legibus sententias latas esse atque alteram utram probandam, altera autem reiecta, alteram ratam fuisse.

Qui legem rogaverat, is per annum ὑπεύθυνος erat, cfr. Tim. 169, sed etiam post annum legem γραφῇ παρανόμων accusare licebat, quamquam auctor tum indemnis erat. cfr. hypoth. II. ad Lept. pg. 453 (Reiske): νόμος γὰρ ἦν τὸν γράψαντα νόμον μετὰ ἐνιαυτὸν μὴ εἶναι ὑπεύθυνον· ὅμως καὶ οὕτω κατὰ τῶν νόμων ἐξῆν ποιεῖσθαι τὰς κατηγορίας, κἂν οἱ γράψαντες ἔξω κινδύνων ὦσιν.

§. 3. De ὑπωμοσίᾳ. Quodsi nomothetarum sententiis nova lex perlata erat, nomothesia quidem, quae proprie dicitur, ad finem perducta, nondum autem actio de ipsa nova lege peracta erat, cum ὑπωμοσίᾳ contra illud iudicium provocari posset· Cuius rei testimonia sunt haec: Pollux. VIII. 56. οὐκ ἔστι μετὰ τὴν ὑπωμοσίαν τὸ γραφὲν πρὶν κριθῆναι κύριον. Hermogenes περὶ στας. δέον ἀντιλέγειν, πρὶν τοῦ κυρωθῆναι, μετὰ δὲ ταῦτα μὴ ἐξέστω. Problem. rhet. 43. τὸν νέον νόμον εἴσω τριάκοντα ἡμερῶν ἀκυροῦσθαι, εἰ δὲ μή, βέβαιον εἶναι. Jntercedendum igitur erat intra triginta dies post nomothetarum iudicium, quodsi non fiebat nova lex rata habebatur. Qui autem novam legem rogaverat, ei licebat post ὑπωμοσίαν factam rogationem deserere, ut demonstrat Dem. de corona 103: καταβαλόντα ἐᾶν ἐν τῇ ὑπωμοσίᾳ. Quin vero hypomosias in nomothesia locus fuerit nemo est qui dubitet praeter Bakium, cuius tamen sententiam optime refutavit Schoemannus opusc. I. 257 sq.

§. 4. Γραφὴ παρανόμων Γραφὴν παρανόμων in nomothesia quoque, hypomosia facta, usurpare licuisse ex oratione Timocratea elucet, quae oratio in eiusmodi iudicio habita est. Jam cum satis notum sit, quae fuerit talis accusationis via, vix est quod de ea exponam: hoc unum mihi liceat, locos afferre qui in oratione Timocratea ad γραφὴν παρανόμων spectant: §. 37: ἀλλὰ γράψασθαι ἕκαστόν ἐστιν, ὃ κἀγὼ πεποίηκα. κἄνταῦθ', ἂν ἀπαλλάξῃ τις τὸν ἐπιστάντα (i. e. τὸν γραψάμενον καὶ ἀκυρώσαντα Wolf.), ἡ πόλις παρακέκρουσται. §. 117. εἰ ἥλω τὴν τῶν παρανόμων γραφήν. §. 108. ἔφη γὰρ ἐξελέγξειν αὐτὸν ἔνοχον ὄντα τῇ γραφῇ.

§. 5. De senatus Areopagitici in nomothesia officio. Quodsi nova lex ab omnibus probata erat iudiciis eamque ob rem rata habebatur, senatui Areopagitico tradebatur, qui eam in moenia τῆς στοᾶς describeret videretque ut magistratus et cives ei

parerent. Qua de re certiores nos facit. Andocides de myst. 84. ἐπειδὰν δὲ τεθῶσιν οἱ νόμοι, ἐπιμελείσθω ἡ βουλὴ ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου, ὅπως ἂν αἱ ἀρχαὶ τοῖς κειμένοις νόμοις χρῶνται. τοὺς δὲ κυρουμένους τῶν νόμων ἀναγράφειν εἰς τὸν τοῖχον, σκοπεῖν τῷ βουλομένῳ. §. 85: ἀνέγραψαν εἰς τὴν στοάν.

Caput VI. Nomothesia extraordinaria.

Praeter legitimam nomothesiam, quam unius cuiusque anni initio factam esse supra demonstravimus, etiam extra ordinem de legibus agi potuisse, si quidem res publica rerum fluctibus in mediis versabatur totiusque civitatis salus in una lege quam celerrime abroganda posita videbatur esse, unus testis est Demosthenes or. Olynth. III. 10 (causa Timocratea enim omittenda est, quippe quae contra leges facta sit), ubi verba sunt haec: μὴ θαυμάσητε ἂν παράδοξον εἴπω τι τοῖς πολλοῖς. νομοθέτας καθίσατε. ἐν δὲ τούτοις τοῖς νομοθέταις μὴ θῆσθε νόμον μηδένα, ἀλλὰ τοὺς εἰς τὸ παρὸν βλάπτοντας ὑμᾶς λύσατε. ἐπειδὰν δὲ ταῦτα λύσητε καὶ τὴν τοῦ τα βέλτιστα λέγειν ὁδὸν παράσχητε ἀσφαλῆ, τηνικαῦτα τὸν γράψοντα ἃ πάντες ἴστε ὅτι συμφέρει ζητεῖτε. Jam videamus quid ex hoc loco de nomothesia extraordinaria erui possit, atque eam sic factum esse statuerim. Qui in civitatis aut sociorum — ut hoc loco de Olynthiorum maxime salute agitur — tempestatibus magnum commodum praebiturum esse censebat, si lex quam celerrime aboleretur, is in ea contione in qua loqueretur a populo προβολήν impetrare debebat, qua ei venia daretur cum senatu de contione convocanda agendi. Qua venia data senatui proponendum erat consilium atque senatus, eo probato, contionem convocabat. Tum in hac contione nomothetae itemque syndici creabantur, nam haec ne in summo quidem discrimine praetermissum esse opinor. Apud nomothetas vero eodem modo iudicium fiebat quo in nomothesia legitima, tamen hoc interest inter utramque ut in nomothesia extraordinaria non semper novae leges veteribus subrogandae essent, ut fit in ea re de qua Demosthenes loquitur. Si igitur novae leges non proponebantur, tum verisimile est eas leges iterum ratas factas esse, quae ante illam legem in dubium vocatam valuerant, aut si antea non fuerant leges omnino lege non opus videtur fuisse. Γραφῇ παρανόμων autem tum tantum locum fuisse per se intellegitur, si nova lex veteri obrogabatur. Legem novam scribae tradendam fuisse, qui eam in contionibus recitaret, vix crediderim, verisimile vero mihi videtur eam exponendam fuisse dum nomothetarum iudicium fieret, quamquam vix multum temporis

inter contionem et iudicium interesse potuit. Tamen rarissime extra ordinem contiones de nomothetis convocatas esse, iam ex eo elucet quod hoc uno loco de hac re certiores reddimur. Censui autem hoc genus nomothesiae non omittendum esse, atque hic maxime locus mihi videbatur esse mentionem eius faciendi, cum transitus eo fiat ab epicheirotonia, in qua cum abrogabantur tum ferebantur leges, ad διόρθωσιν, in qua abolebantur tantum.

Pars posterior.

De διορθώσει νόμων.

Διόρθωσιν legum ab epicheirotonia seiungendam esse in provemio demonstrasse mihi videor, ut nunc nihil nobis relictum sit quam ut exponamus quomodo διόρθωσις facienda fuerit. Jam cum perpauca nobis de hac nomothesias parte a scriptoribus tradita sint, pauca tantum esse possunt quae addamus. Atque thesmothetarum maxime in hac re fuisse munus, cum Aeschinis Ctes. 38. verba docent, tum scholion ad Dem. Ol. III. 10. νομοθέται· νομοθέτης ἐλέγετο παρ' αὐτοῖς καὶ ὁ νόμον καινὸν εἰσφέρων καὶ πάλιν ὁ κρίνων τοὺς νόμους μήπως ἐναντίοι τινὲς ἀλλήλοις ἔλαθον ὄντες· τοῦτο δὲ τὸ ἔργον ἦν τῶν θεσμοθετῶν. Quare, ubi primum thesmothetae magistratum iniere, corpus iuris Attici pervestigare coeperunt, videntes num lex alteri contraria aut irrita inter ratas aut num de qualibet re plus quam una lex conscripta sit. Hoc vero munus usque ad diem ab ipso populo constitutum perfectum esse debuisse docent Demosthenis verba Lept. 91: χειροτονεῖθ' ὑμεῖς τοὺς διαλέξοντας τοὺς ἐναντίους (sc. νόμους) ἐπὶ πάμπολον ἤδη χρόνον, quae verba sic interpretanda sunt: thesmothetis (hos enim esse τοὺς διαλέξοντας recte monet Dinforfius) iam permultum semper temporis ad leges pervestigandas conceditis. Dindorfii vero adnotationem ad haec verba me non intellegere mihi profitendum est. Dicit enim vir doctus in adn. ad Dem. VI. 689 haec: χειροτονεῖθ' ὑμεῖς τοὺς διαλέξοντας: thesmothetas dicit, deinde autem: ἐπὶ πάμπολυν ἤδη χρόνον: i. e. diu est ex quo sic facitis. Quas adnotationes si componimus hoc efficitur: diu est ex quo manuum suffragiis thesmothetas creatis. Quod falsum esse non est quod probem, cum non manibus archontes creati sint. Huc accedit, quod non inveni locum, quo ἐπὶ c. acc. habeat eam significationem quam vult Dindorfius, sed semper eam, quam Papius s. v. ἐπί notat: die ausdehnung bis zu einem gewissen zeitpunkte, ut exempla afferam: Xen. Cyr. 6. 2. 34: ἐφ' ἡμέραν ἀρκεῖν. Odyss. 12. 407. ἡ δ' ἔθει

οὐ μάλα πολλὸν ἐπὶ χρόνον saepiusque. Quem vero adfert locum Dindorfius ut sententiam suam firmet, Dem. Mid. 41: ἃ δ' ἂν ἐκ πολλοῦ συνεχῶς ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας παρὰ τοὺς νόμους τις πράττων φωρᾶται, eo notio illa non posita est in ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας sed in ἐκ πολλοῦ. Significant igitur Demosthenis verba in Leptinea haec: tam perturbatae sunt leges ut non paucis dies sed menses nonnullos thesmothetis concedere debeatis qui eas in ordinem redigant, cum apud maiores nostros omnino fere non opus esset officio eorum in hac re.

Deinde postquam thesmothetae leges inter se pugnantes invenerunt, ambas ante eponymorum statuas exponebant atque prytanibus tradebant qui de eis ad populum referrent. Prytanes tum populum in contionem convocabant, tum vero si quis de eis exponere vellet, ei facultatem dicendi faciebant atque auditis suadentium orationibus populum in suffragium mittebant, quo suffragio facto res ad finem perducta erat. Quae lex populo servanda videbatur esse, ea inter ratas referebatur, altera autem abrogabatur. Γραφῇ παρανόμων atque ὑπωμοσία non potuisse esse locum in hac re per se intellegitur, cum contra ipsius populi decretum provocari non potuerit.

---

pag. 13. l. 11. pro »solos nomothetas« legas »heliastas.«
» 14. l. 23. post »esse« addas »cfr. Westermann pg. 14.«

Index:

Sententiae controversae.

1. Recte statuitur syntaxin particulae »quin« ex parataxi ortam esse, in qua prima notio fuerit interrogatio negativa (qui—ne?), sensu affirmativo posita.

2. Demosth. c. Aristocr. §. 115 ὅτε ante πᾶσαν non eiciendum sed in ἅτε mutandum est.

3. Terenz. adelphi I. 1. 12. sq. (v. 35.) ceterorum virorum doctorum coniecturis reiectis Umpfenbachii probanda est lectio, maxime illa quidem ad codicum auctoritatem accedens.

4. Plauti versus in Menaechmis IV. 2. 37. (v. 601) non cum Brixio eiciendus sed recepta Ritschelii emendatione »detuli huic« retinendus est.

5. Carmen nostrum quod inscribitur »der Winsbeke« in quattuor partes distribuendum est, str. 1—56 .57—64. 65—79. 80, quarum unius cuiusque alius est auctor.

Vita.

Natus sum Richard Johannes August Höffler die XII. m. dec. a. h. s. LV. Wittstockii Marchicorum, patre Augusto, praematura morte mihi abrepto, matre Augusta e gente Bergemann, qua adhuc superstite valde laetor. Fidei addictus sum evangelicae. Scholae Wittstockianae, quae, cum in tertio ordine eram, in gymnasium mutata est, interfui usque ad initium a. h. s. LXXIII, quo tempore adscriptus sum civibus academicis universitatis Lipsiensis. Lipsiae me per tria semestria docuerunt vv. cll. Brockhaus G. Curtius Drobisch Eckstein Gardthausen Heinze Hildebrand Lange Lipsius Masius Nobbe Ritschl Seydel. Hieme a. LXXIV. Berolinum profectus sum ibique per annum audivi vv. ill. E Curtius Droysen Grimm Hübner Kirchhoff Maercker Michaelis Müllenhof v. Wilamovitz-Möllendorf Zeller. Denique Kiliam commigravi, ubi scholis interfui vv. ill. Forchhammer Lübbert Möbius Pfeiffer Pfleiderer Rohde Schirren Thaulow Weinhold, nec non exercitationibus seminariorum germanici atque philologici, cuius utriusque fui sodalis extraordinarius per semestre, ordinarius vero per annum. Jtemque mihi benevolentissime a. vv. dd. Hübner et Thaulow permissum fuerat ut particeps fierem societatum, quibus privatissime discipulos instituunt.
Omnibus his viris optime de me meritis gratias semper agam, quas debeo, maximas.



UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 061231848